









DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.








110. a

CHRIST. ADOLPHI KLOTZII

# HISTORIA NVMORVM OBSIDIONALIVM.




CVM FIGVRIS AERI INCISIS.

---

*ALTENBVRGI*
EX OFFICINA RICHTERIA
M. DCC. LXV.



# PRAEFATIO.

*Quod, toto eruditionis ambitu considerato, singulisque illius partibus exploratis, obseruasse mihi visus sum: (nam etiam omne hoc, quicquid id est, cui mundi coelique nomen indidimus, animo complecti et in parua tabula descriptum intueri possumus, quanquam ipsi nunquam totum orbem permeauimus;) illud etiam, posteaquam ad rei numariae studium animum adieci, intellexi. Com-*

110. a.

*magni Munchhusii munificentia littera-rum Vniuersitati Gottingensi collegit!) consilium ceperam, quaedam rei numariae capita accuratius illustrandi, quam ab aliis factum esset, certe factum esse ego putarem. Hoc animo historiam numorum contumeliosorum contexere studui, eandemque rationem in numis necessitatis causa cusis colligendis secutus sum; praesertim cum tales nanciscerer non paucos, aliquot possiderem ipse. Nam praeter Bozianam disputationem, quam e Gallico conuerti, satis illam leuem et detrectantis multum laborem auctoris animum prodentem, nihil, quod huc pertineret, me legere memini. In tanta vero eiusmodi numorum copia, quis non operae pretium esse censeat, eorum originem indagare, seriem exponere,*

*histo-*

*historiam enarrare? Sed scrutanti hanc rem hoc permolestum accidit, vt, siue, quoniam hi numi rariores sunt, et exiguo eorum numero saepe percusso, et conflatis mox iisdem, aut melioribus permutatis, siue, quia animus refugit a tristi calamitatum memoria, magisque laetiora et iucundiora amat, minus accurate eos collegisse viros doctos et descripsisse inuenirem. Quare cum mihi ipse non satisfacerem, mutaui libri titulum, eoque me tantummodo numos obsidionales commemoraturum esse promisi, quorum, ni fallor, exhibui non contemnendam copiam. Quanquam igitur et de numorum deminutione egi, quam totae prouinciae totaque regna experta sunt, eosque enumeraui, quibus stipendia in castris militibus*

*tibus soluta sunt: a tertio tamen capite, reliquis perfectiore, libro nomen imposui. Reliqua duo corollaria esse, haberique cupio; quibus cognitis forte via sternetur lectori ad alia plenius intelligenda. Quis vero me reprehendat, aut quis mihi irascatur, si me plura dedisse viderit, quam me daturum esse promisi, cum vel iis ignoscere rogamur, qui pauciora, quam in titulo polliciti sunt, exhibeant? Neque tamen illa capita inchoata relinquam, olim a me, si et maior librorum et otii copia adfuerit, perficienda. Quanquam, ut nunc est, nihil audeo promittere. Longe enim locorum spatio seiunctus vivo ab amicis meis, quos consulere solebam, quorumque doctrina sola me iuvare poterat. Quoties puta, eruditissime Gattere,*

rere,

*rere, me candorem Tuum, fidem, doctrinam, ingenium desiderare? quoties censes me non sine dolore eos dies recordari, quos amicitia tua mihi iucundissimos reddidit? quoties mecum repetere sermones aut cum Buttnero nostro, qua non candidiorem animam terra tulit, aut in collegio, a Te condito, habitos? Sed licebit profecto iterum aduolare ad vos; aliquot dies apud vos commorari; explere desiderium famemque auidi amoris; confabulari cum Lessio meo, cum Riepenhausenio, cum Buttnero, Hollmanno, Selchowio, Gatterero, Wrisbergio, aliisque optimis viris; garrire quicquid* de sexcentis rebus *in buccam venerit; si dies non exsatiet, vel in multam noctem sermonem extendere; inter sobria pocula cum altero Buttnerorum*

*rum ad lunae lumen in illo, qui me toties laetum vidit, suaui medicarum herbarum varietate abundantissimo horto iocari, iterumque ad Musas meas Halenses discedere. O diecula illa! quando exoriera, meque votorum compotem facies?*

Scr. Halae, d. XVI. Iul. a. C. 1765.



Maxime



Maxime necessarium esse, vt interna numorum bonitas, quae absoluitur et puritate metalli, et pondere monetae, externae, quam in vsu vitae habent, respondeat, neue pretium charactere inscriptum distet ab illo, quod pro commerciorum commodis, et communis vtilitatis ratione, pondere metallorum exacto, bene et sapienter constitutum, et quasi communi gentium consensu receptum, ipsi materiae inest, cum res ipsa, multis iisque tristissimis exemplis quae illustrari facile potest, docet, tum recte viri harum rerum periti ostenderunt (*a*). Quare etiam antiquis temporibus

(*a*) v. c. Anton. Perez *Cod. de vet. Num. potest. num.* 13. 14. *sequ.* Albert. Brunus Astensis *de augment. et diminut. monet.*. p. 358. in *Variis Tractat. de monetis* (Coloniae, 1591.) et Io. Iac. Mascouius in *diss. de iure circa rem monetariam in terris Circuli Saxon. superior.* (Lips. 1723.) p. 19.

A

ribus non ſolum grauiter ii puniti ſunt, qui, aut viliori metallo nobiliori addito, aut quocunque alio modo legitimo numi valore deminuto, monetam corrumperent, et, ſi liberi, ad beſtias dati, ſi ſerui eſſent, vltimo ſupplicio affecti ſunt (*b*): ſed etiam ignis poena iisdem conſtituta fuit, Conſtantino edicente: *quicunque ſolidorum adulter poterit reperiri, vel a quocunque fuerit publicatus, illico omni dilatione ſummota flammarum exuſtionibus mancipetur* (*c*); ſaepius hac lege repetita et renouata (*d*).

Apud

(*b*) l. 8. ff. ad L. Cornel. de falſ. adde Budelium *de monet. et re numar.* L. II. p. 242. ſequ. c. 27. Didac. Couarruuiam in *Veterum Numiſm. Collatione.* cap. VIII. p. 658. ſequ. in *Tr. Variis.* quo libro in hoc, aliisque libris laudandis vtimur, vtemurque. Stryckii diſſ. *de temeratoribus iuris monetandi.* Ant. Matthaeum de *criminib. tit. de falſo cap. 5. n. 6.* Petri Mulleri *Addition. ad* Georg. Adami Struuii *Syntagm. Iur. Ciu. P. III. Exerc. XLIX. p.* 1104. et alios.

(*c*) l. 3. *Cod. de falſa mon.*

(*d*) in Caroli V. *Ordinat. Crimin. Art. CXI. welche falſche Müntz machen und zeichnen, die ſollen nach Gewohnheit, auch Satzung der Rechte, mit Feuer vom Leben zum Tode gebracht werden.* adde Claſenium ad illum locum. p. 382. et Bocerum *de Iure monetar.* c. V. §. 4. p. 176.

Apud Wisigothos rex Receswindus (*e*) *illi, qui solidos adulterauerit, circumciderit, siue raserit, si seruus fuerit, dextram abscindi iussit manum: si ingenuus, bona eius mediate fiscum acquirere.* quam manus abscissionem et leges Longobardorum (*f*), et Francorum (*g*), corruptoribus monetae minantur. Eandem etiam poenam in consuetudinibus tum Saxonicis tum Alemannicis memorari, docte obseruauit Henricus Comes de Bunau (*h*); qui etiam e Twisdeni scriptoribus historiae Anglicanae docet, Anglorum iure olim obtinuisse, vt rei monetariae corruptores oculis et partibus corporis inferioribus priuarentur.

Etsi etiam princeps solus sit, aut alius summus magistratus, qui et formam det numis et pretium: ipse tamen maxime operam dare debet, ne immutatione aut deminutione monetae, reipublicae detrimentum adferat, fraudemque committat. quod fiet, si, certo monetae pondere definito, ab interno valore de-



(*e*) vid. *Leg. Wisigoth.* L. VII. tit. VI. c. 2. apud Lindenbrog. p. 154.
(*f*) v. *leg. Longob. L. I.* tit. 28. c. 1. ib. p. 575.
(*g*) apud *Baluz. Capit.* T. I. col. 154.
(*h*) *de iure circa rem monetar. in Germania* p. 116. seq.

trahatur, relicto externo pretio. Immo, re considerata accuratius, non possum non iis assentiri, qui principi potestatem mutandi monetam suo arbitrio et sine ciuium consensu adimant (*i*), nisi tyrannus potius, quam princeps, esse, magisque ex libidine, quam ex aequo et bono, res administrare velit.

*Summa*, inquit Ioannes Bodinus (*k*), *et barbarica iniustitia est, et ineuitabile provinciae detrimentum, si princeps suo arbitrio pretium auri et argenti mutet, augendo vel diminuendo pedem monetarum ex istis duobus metallis fabricatarum in eodem gradu bonitatis: nec inuenturus esset vllum principem, aut populum vicinum, qui commercia cum ipso tractare velit, praeterquam in speciebus.* atque idem Bodinus alio loco (*l*) grauiter, vereque inquit: *Principi non magis licet improba numismata cudere,*

(*i*) vid. Budelium *de monet. et re numaria* L. I. p. 21. Ioh. Aquilam in Tr. *de potest. et vtil. Monet.* p. 425. Martinum Garratum Laudensem in Tr. *de monetis.* p. 447. et Caspar. Zieglerum *de iuribus Maiestatis L. I. cap. XLIX. p.* 818. sequ.

(*k*) in Tr. *de augment. et decrem. auri et argenti* p 789.

(*l*) *de re numar.* p. 736.

*dere, quam occidere, quam grassari: nec a iure gentium, quo quidem auri et argenti pretium constitutum est, discedere: nisi regis nomen ac splendorem amittere ac falsae monetae fabricator, quam princeps, appellari malit.* Aurea vero verba, et cuicunque principum a prima inde iuuentute etiam atque etiam a magistro inculcanda!

Quae quidem licet ita sint, incidunt tamen tempora, quibus summa necessitas has leges tollit. Quemadmodum Didacus Couarruuias, si mutatio monetae fiat absque iusta causa, pro principum libidine, hoc omnino illicitum esse dicit: ita etiam pronunciat: *licere principibus precium monetae augere tempore* publicae necessitatis: *modo, ea cessante, fiat subditis restitutio damni illati ab ipso principe, qui posset id restituere* (*m*). Nam saepe inopia et extrema indigentia principes a recepta materia formaque recedere cogit, magisque illud spectare iubet, vt adsint numi, quam vt boni et legitimi adsint. (Quanquam etiam bene dicere videtur Zieglerus (*n*): *Si dicendum, quod res est, numi isti veri numi non sunt, sed*

 *tantum*

(*m*) in *Veterum Numism. Collatione.* p. 653.
(*n*) l. c. p. 825. a.

*tantum vice numorum, veluti subsidiarii quidam sponsores, habentur.*) Hic vero primum ad hos numos cudendos summa necessitas principem adigere debet: deinde ille, ne hac mutatione aliquid detrimenti respublica capiat, cauebit: id quod fiet optime, si, sublata illa necessitate, iterum permutentur leuiores numi bonis et veris.

Consideranti vero mihi et varia tempora et numos eiusmodi, tria eorum genera mihi constituenda esse videntur. Nam et incidere possunt tempora, quae deminutionem monetae in tota prouincia aut regno necessariam faciant: et belli tempore duplicem ob caussam, cum ad stipendia militibus soluenda in castris, tum in vrbe obsidione clausa, pecuniaeque penuria pressa, cogit necessitas receptam vsu et probatam monetae formam deserere. Collegimus ex historia cuiusque mutationis exempla: quae nunc enarrabimus.

---

CAP.

## Cap. I.

### *De numis Necessitatis causa cusis.*

I.

Primo loco dixi me acturum esse de numis, quos viliori, quam constitutum esset, valore interno, publice vt loco bonorum vsurparent ciues, vrgente necessitate, magistratus aut princeps edixit. Satis antiquum rei exemplum dat nobis respubl. Romana, quae triplicem immutationem pecuniae, bis necessitate coacta, semel libera, vidit. Primo bello Punico a. V. C. CCCCLXXXIX. (al. CCCCXC.) exorto, non sufficiebat resp. sumtibus tolerandis, nec se aliter vidit aerario succurrere posse, quam si ex *assibus librariis* conflatis cuderentur *asses sextantarii*, id est, asses vno sextante leuiores, dicti ita non a pondere sextantario, sed a pondere imminuto, detractoque, quod erat sextans. Bellum alterum Punicum a. V. C. DXXXV. (al. DCXXXVII.) exarsit, in quo post cladem Cannensem summa erat aerarii penuria. Hinc populus omne aurum, argentum, aesque signatum sextantarium ad monetales treuiros detulit, e quo

*asses vnciales* conflati sunt, id est, vnius vnciae detractu sextantarii asses mutati sunt in vnciales *dodrantario pondere*. Quemadmodum igitur Senatus prima assis imminutione, *vnum Sextantem*, seu quintam partem Dextantis lucratus est: ita hac secunda imminutione dimidium prioris lucri, seu *dimidium sextantem* lucrabatur. Bello sopito, et necessitate sublata, asses imminutos quoque tolli, reddique assibus pristinum pondus, aequum erat. Sed non commodi erant satis vilia et parua mercantibus antiqui asses librales ob molem suam, ideoque a. V. C. DLXXV. (alii a V. DLXIII. alii a V. DLXXXVI.) lege Papiria mandatum fuit, vt *asses sescunciales*, noua iterum imminutione ponderis, sed ea nemini molesta, non necessitate, sed consilio et ratione suscepta, ferirentur. Haec vero tertia imminutio nihil nunc ad nos pertinet.

Quicquid scimus de hac re, debemus diligentiae Plinii, optime de omni posteritate meritae. Huius insignem locum haec transferemus (*a*).

*Argentum signatum est, anno Vrbis CCCCLXXXV. Q. Ogulnio, C. Fabio Coss.*

(*a*) in *Hist. Natur.* L. XXXIII. c. 3. p. 611.

*Coss. quinque annis ante bellum Punicum. Et placuit Denarium pro decem libris aereis, Quinarium pro quinque, Sestertium pro Dupondio ac semisse. Librale autem pondus aeris imminutum bello Punico primo, cum respublica impensis non sufficeret, constitutumque, vt asses* Sextantario (*b*) *pondere ferirentur. Itaque* quinque partes factae (*c*) *lucri, dissolutumque aes alienum. Nota aeris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis. In Triente vero et Quadrante rates. Quadrans antea Teruncius vocatus a tribus vncis. Postea Hannibale vrgente Marcum, Q. Fabio Maximo Dictatore, Asses Vnciales facti: [(d) placuitque Denarium sedecim Assibus permutari, Quinarium octonis, Sestertium quaternis.] In militari tamen stipendio semper Denarius pro decem Assibus datus. Nota argenti fuere Bigae atque Qradrigae, et inde Bigati Quadrigatique dicti. Mox*



(*b*) rectius Alciatus: *Dextantario.*

(*c*) melius edition. antiqu. *ita quinta parte facta lucri.*

(*d*) rectius haec ponuntur post: *asses facti.*

*lege Papiria* (e) Semunciales *asses facti.*

Est hic locus insignis, maximeque memorabilis. Neque tamen exiguam habet difficultatem, de qua tollenda frustra consuluimus Harduinum, qui magis etiam nos turbauit, omnemque fere, quam iam adspicere nobis videbamur, lucem iterum obscurauit; frustra etiam Io. Casp. Eisenschmidium (f). Sunt enim viri eruditi complures, in his Guil. Budaeus (g), Ioannes Aquila (h), Carolus Molinaeus (i), Didacus Couarruuias (k), Euelynus (l), Ludou. Sauotius (m), Fr. Hotomannus (n), Salmasius,

(e) Alciat. *sescunciales*.

(f) *de ponderibus et mensuris p.* 132. tantum Plinii locum dat.

(g) in libro *de asse* V. p. 245. in T. II. Oper. (ed. Basil. 1557.)

(h) in Tr. *de potest. et Vtil. Monet.* p. 419.

(i) *de mutatione monetae* p. 534.

(k) *in Veter. Numism. Collatione* p. 580.

(l) in libro: *Discourse of Medals antient and Modern.* p. 5.

(m) *dans le Discours sur les Medailles antiqu.* L. III. c. 20. p. 217.

(n) *de re Numar. Pop. Rom.* p. 52.

fius (*o*), Vaillantius (*p*), Fr. Wisius (*q*), et

(*o*) *de Vsuris* c. XI. p. 316.

(*p*) ad *Numos Famil. Roman.* T. I. p. 351. p. 59 p. 70: T. II. p. 121.

(*q*) ad *Numism. Bodleiana.* p. 247. cuius opinio quia in quibusdam diuersa ab aliis, volumus ipsa verba repetere: " *Vt rem dicam, tunc temporis as longe citra verum et intrinsecum valorem aestimabatur, vt colligere licet ex ratione, quae aes inter et argentum existebat. Denarius enim argenteus, cuius pondus erat circiter Octaua pars Vnciae, ita dictus est, quod denos asses, seu aereos valeret. Varr.* L. VI. de L. L. *Vnde constat; Argenti rationem contra Aes esse quasi Vnius ad Nongenta Sexaginta, quae immanis erat inaequalitas. Non minus igitur prudentiae quam necessitatibus P. R. adscribendum est, Asses sextantarios fieri, vnde Argenti proportio ad Aes Centesima Sexagesima constituta fuerit. Nec minori cum iudicio prouisum est de altera aeris imminutione, cum, vrgente Hannibale, Q. Fabio Maximo Dictatore Asses Vnciales facti, placuitque Denarium sedecim Assibus permutari, Quinarium Octonis.* Plinius. *Ideo enim Denarius hac lege 16 Asses valebat, quod argenti aequalior fieret proportio, scilicet Centesima Vicesima Octaua. Demum a. V. C. 563. Asses lege Papiria Semunciales facti sunt.* Idem. *Vnde proportio Sexagesima Quarta venit, quae sane longe aequior fuit* "

et Froelichius (*r*), qui censent, rempublicam necessitate coactam ex assibus XII. vnciarum primo cudisse asses duarum vnciarum: ex his mox alios vnius vnciae asses: denique ex his vnius semiunciae asses prouenisse. Sunt etiam, qui vltimam quoque imminutionem vrgente necessitate factam esse putent. Sed postea quam rem aliquamdiu considerauimus, non potuimus non ab iis dissentire. Nam, si imminutio illa tam immanis fuisset, vt pro duodenis tantum binae vnciae restitutae, maiorem illa stragem et calamitatem, quam bellum ipsum, non potuit non adferre. Id quod etiam Bouteroueus (*s*) intellexisse videtur, qui, licet reliquis assentiatur, non tamen vno ictu hoc factum esse existimat, sed sensim assem diminutum omnes imminutiones tolerasse dicit, quae inter libram et duas vncias. Nos vero, argumentis vtriusque partis examinatis, secuti sumus Io. Georg. Wachterum (*t*), cuius ex sententia totam rem enarrauimus.

Videtur

*„fuit, quaeque per multa deinde secula, vt „videtur, perdurauit".*

(*r*) *de vtilitate rei numar. Veter.* p. 6.

(*s*) dans *les Recherches curieus. des monoyes de France.* p. 87.

(*t*) in *Archaeolog. Numaria* c. 9. et 10. a p. 108.

Videtur enim nobis verum vidisse, suamque opinionem satis stabiliuisse. quanquam memini iam ante eum eandem fere sententiam proferre Robertum Cenalem (*u*): illique lucem praetulisse Alciatum in libro de ponderibus et mensuris (*x*) et Philandrum in notis ad Vitruuium.

Ne ignorantia aliquid omisisse videamur, locum Festi de hac re adscribamus (*y*). *Sextantarii asses in vsu esse coeperunt ex eo tempore, quo propter bellum Punicum secundum, quod cum Hannibale gestum est, decreuerunt Patres, vt ex Assibus, qui tum erant librarii, fierent Sextantarii, per quos cum solui coeptum esset, et populus aere alieno liberaretur, et priuati, quibus debitum publice solui oportebat, non magno detrimento afficerentur. Septuennio quoque* (anno) *vsus est, vt priore numero, sed id non permansit in vsu, nec amplius processit in maiorem,* quo in loco notatus est duplex error, cum in tempore imminuti ponderis, tum in durationis spatio, septennio maiore, definiendo,

Contra-

(*u*) *de ponderum ac mensurarum ratione* in T. XI. *Thes. Graeu.* p. 1518.

(*x*) in Oper. T. IV. p. 907.

(*y*) p. 523.

Contrarium alio loco scribit idem Festus (z): *Graue aes dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum. Sed bello Punico populus Romanus pressus aere alieno, ex singulis assibus librariis senos fecit, qui tantundem valerent. Item nummi quadrigati et bigati a figura caelaturae dicti.*

Pertinet etiam huc locus Gellii, qui si recte consideretur, facile dirimi potest illa summa animorum contentione agitata controuersia de aere graui (*a*). Fauorinus, qui ibi leges XII. tabularum impugnat, praeter alia dicit: *Nonne enim tibi quoque videtur esse nimis dilutum, quod ita de iniuria puniendia scriptum est:* SI INIVRIAM FAXIT ALTERI, XXV. AERIS POENAE SVNTO! *Quis enim tam inops, quem ab iniuriae faciendae libidine XXV. asses deterreant? Itaque cum eam legem Q. Labeo quoque vester in libris, quos ad XII. tabulas conscripsit, non probaret; Quidam, inquit, Lucius Veratius fuit, egregie homo improbus, atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus*

(z) L. VII. p. 169. ed. Dacier.
(a) *Noct. Attic.* XX. 1.

*nus suae palma verberare. Eum seruus sequebatur crumenam plenam assium portitans, et quemcunque depalmauerat, numerari statim secundum XII. tabulas XXV. asses iubebat.* His Caecilius, qui legum illarum auctoritatem defendendam susceperat, respondet: *Non omnino omnes, mi Fauorine, iniurias asse isto pauco diluerunt, tametsi et haec ipsa paucitas assium graue pondus aeris fuit: nam librariis assibus in ea tempestate populus vsus est.* Clare hic aes graue a leviori distinguitur. Graue aes dicit in vsu fuisse antiquis illis temporibus, quibus leges XII. tabularum conditae. Leuius aes post bellum Punicum Lucii Veratii aetate viguisse simul dicit. Nam si asses adhuc librales fuissent, vt antea, quis tantum eorum numerum crumena ferre potuisset? His si addideris duo loca, alterum Plinii (*b*): *Libralis appendebatur assis. Quare aeris grauis poena dicta. Et adhuc expensa in rationibus dicuntur: item impendia et dependere:* alterum Festi (*c*): *graue aes dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum:* non poteris non fateri, aeris grauis nomine indicari asses librales, et illud aes

opponi

(*b*) L. XXXIII. 3. (*c*) f. v. *grauis.*

opponi leuiori, id est, ponderi assium imminuto. Atque haec est verissima sententia Salmasii (*d*), [quanquam non in omnibus verum vidisse videtur, inprimis, dum Sestertios putat grauis aeris nomine indicatos esse, et sibi ipsi contradicere videtur aliis locis,] Gassendi (*e*), Hotomanni (*f*), Gronouii (*g*), et aliorum, quorum princeps est vir doctissimus Iac. Perizonius (*h*). A quibus male dissentit Lud. Kusterus (*i*); qui aes graue et aes proprie atque absolute ita dictum reuera esse idem putat, nec certam aeris vel aereorum numorum speciem pondere, mole, vel forma a reliquo aere distinctam, sed quodcunque aereorum numorum genus argento et auro signato oppositum notasse, neque hanc appellationem prius, quam argentum et aurum signatum esset, ortam fuisse existimat; quae quidem sententia nullo idoneo argumento confirmari potest. Debet

(*d*) de *Vsuris*. c. XI. e XIX. p. 572. et de *modo Vsurar*. c. 6.

(*e*) in *abaco* p. 536. T. V. Operum.

(*f*) *de re numaria, P. Rom.* p. 40.

(*g*) *de pecun. Vet.* L. III. c. 15. p. 241. 242.

(*h*) in *dissertat. de aere graui.* (Lugduni Batau. 1713. 12.) v. p. 31. et 120. sequ.

(*i*) in *Diatrib. Anti-Gronouiana*. 1712. Amstel. v. p. 62. 66.

Debet potius tota res ex Perizonii sententia ita concipi: Romani antiquissimis temporibus vtebantur aere rudi in commercio, explorato eius pondere libra: post maioris commoditatis caussa signatum est aes, ita, vt libram aeris rudis aequaret as: quamquam rudis aeris vsus in maioribus negotiis remansit: sed assis pondere librali imminuto, graue aes denotabat illud pristinum librale pondus. Mox etiam, argenti copia sensim Romae aucta, aes graue non diutius in vsu fuit commerciorum. Maioribus autem in negotiis praecipue pecuniae summae redigebantur et conficiebantur aliquamdiu ad pristinas aeris grauis rationes, licet ipso aere graui sublato: atque ita explicandi sunt scriptores, vbi aeris grauis mentionem faciunt, iis temporibus, quibus illud iam desierat in vsu esse.

Certa igitur est, et satis probata duplex pecuniae imminutio, a Romanis necessitate compulsis facta. Visus sibi est Wachterus (*k*) aliam praeterea monetae imminutionem deprehendisse. Notam esse dicit omnium gentium ad liberandum orbem sub Antoninis conspirationem, malum bello Punico

(*k*) l. c. p. 131.

nico multo terribilius. Eo tempore monetam Romanam imminutam fuisse, etiamsi nusquam legatur: rem tamen probabilem reddere cum magnitudinem periculi instantis, tum ipsius monetae post Antoninos excusae et silentium historiae supplentis testimonium. In nummis enim aereis (*l*) Severi Alexandri legi: RESTITVTOR MON. S. C. cum figura dextram protendente, et: MONETA RESTITVTA S. C. cum figura bilancem tenente. Hoc genus laudis esse nouum, nec reperiri in nummis priorum Imperatorum, ideoque monetam Romanam ab antecedentibus Imperatoribus insignem mutationem perpessam, ab eoque restitu-

(*l*) vide Oiselii *Thes. Num. Select.* t. CXIII. 8. Vaillantii *Num. Praestant. Imp. Rom.* T. I. p. 144. 145. ed. Rom. Patini *Numism. Imper.* p. 277. Iobertum *dans la Science des Medailles.* T. I. p. 41. et *Bouteroue* l. c. p. 7. Similia exempla viderunt etiam recentiora tempora. Est numus Henrici III. regis Galliae a. 1578. cusus cum inscriptione: CONSTITVTAE REI NVMARIAE EXEMPLVM: alius Henrici IV. a. 1607. cusus profert: EXEMPLVM PROBATI NVMISMATIS: alius Ludouici XIII. a. 1641. habet: MONETA LVD. IVST. aliusque eiusdem regis a. 1643. LVD. XIII. MONETAE RESTITVTORI.

reſtitutam fuiſſe videri. Quae quidem opinio tamen non ita certa eſt, vt nihil contradici poſſit. In numis Claudii (*m*) eſt manus bilancem tenens, cum litteris P. N. R. quibus putat Hauercampius reſpici ad prouidentiam Auguſti Claudii ratione monetae, ideoque litteras explicat: *Pondus Numi Romani.* Porro eſt alius Galbae argenteus, qui in antica parte caput illius cum verbis: GALBA IMPERATOR, in poſtica foemineum caput cum epigraphe: REST. NVM. habet (*n*). Explicant haec quidam: *Reſtituto Numo;* alii etiam: *Reſtituto Numine;* ſed rectius puto Vaillantium (*o*) et Spanhemium interpretari: *Reſtituta Numidia.* Nam et, ſi reſtitutae rei monetariae mentio fit, *moneta*, non *numus*, legitur: et vix probabile videtur, Galbam, qui vix ſeptimeſtre imperium deguſtauit, condendis de re numaria legibus vacaſſe. Quamuis vero haec ita ſint, ante Seuerum tamen reſtitutionem monetae indicare videntur numi.



(*m*) in *Theſ. Num. Imper. Morellian.* C. Claud. T. IX. 11. 12. 13. v. *Commentarium* p. 41.

(*n*) in Seguini *Select. Numiſm.* p. 133.

(*o*) in *Not. et Obſeruat.* ad illum librum p. 409. adde *Num. Praeſt. Imp. Rom.* T. II. p. 73.

Porro in numis Domitiani (*p*) aduersa pars habet Caesaris caput laureatum, cum epigraphe: IMP CAES DOMITIAN AVG GERM COS X: auersa Deam, cum aequatis lancibus in dextra, et cornu copiae in sinistra, stantem: Epigraphe est: MONETA AVGVST S. C. An improbabile, Senatum hoc titulo numum ideo dicasse Domitiano, quia rem monetariam emendauerat? Certe primus est Domitianus, in cuius numis Moneta occurrit: neque hoc sine aliqua causa meritorum de re monetaria factum fuisse videtur. Apparet vero deinde illa saepius in Caesarum numis, vt in Traiani (*q*), Volusiani (*r*), Valeriani (*s*), Maximiani (*t*), Gallieni (*u*), Diocletiani (*x*) et aliorum. Sed non ideo existimandum est, eos emendasse aut restaurasse leges numarias. Patinus dicit, se credere, hunc typum tam frequenter

(*p*) in *Thes. Morellian.* t. XVIII. 14. 15. adde Hofmannum *de Dea Moneta.* Helmstad. 1717.

(*q*) vid. Banduri *Numism. Imper.* p. 8.

(*r*) Ibid. p. 83.

(*s*) Ibid. p. 108. et 113.

(*t*) in *Thes. Palatin.* p. 364.

(*u*) in Patini *Thes. Numism. suorum* p. 88.

(*x*) Ibid. p. 130. 131. add. p. 204. et 205.

quenter ideo iteratum esse, vt scirent populi, Imperatores hos, penes quos solos ius monetae cudendae, exactam legem, pondus et metallum seruare: et alio loco (*y*), *frequenter*, dicit, *hocce typo numos suos signauerunt Imperatores Romani, quo se fideles et aequos erga populum testarentur, ponderis et metalli legem exquisite seruantes.* Ipsius etiam, vt hoc addam, Alexandri Seueri numi non boni adeo sunt, vt multum laudis ille mereatur. Quam parum enim purae incorruptaeque materiae haberent, deprehendit et docuit Sauotius (*z*), ideoque Seueri numi *nequissimi* appellantur a Wagenseilio (*a*). Sed potuit forte Seuerus hoc cognomen ideo accepisse, quia varia egit, quae ad rem numariam spectarent, quaeque Lampridius enarrat (*b*). Nos tantummodo ea exponemus, quae claris scriptorum testimoniis firmari possunt. Certe inter restitutores rei numariae Traiano locus tribui debet, quem Xiphilinus e Dionis L. LXVIII.

 p. 777.

(*y*) Ibid. p. 203.

(*z*) dans *le Discours sur les Med. L. II.* c. 12. p. 95. adde Bimardum in notis ad Iobertum. T. I. p. 59.

(*a*) *de re monetali Vet. R.* p. 44.

(*b*) in *Vit. Alex. Seu.* p. 127. ed. Paris. 1620.

p. 777. D. narrat, numos omnes attritos, deminutos, leues, conflasse (*c*).

Multas vero imminutiones apud Romanos numos passos esse, cum exemplis apparet, tum ex poenis, quas adulteratoribus monetae imperatores minatos esse, historici memoriae prodiderunt. Ad hos corruptores pertinet inprimis Caracalla (*d*), qui pro argento plumbum argentatum, pro auro inauratum aes supposuit. Sed hoc nihil ad nos pertinet, quod homines, non necessitate coacti, sed aut auaritia, aut, vt haberent, quo libidini satisfieret, fecerunt. Ad necessitatem vero puto referendum esse, quod Zonaras narrat (*e*): Ex multis Hieronis muneribus Romanos frumentum tantum et Victoriae signum accepisse, quanquam adeo pecuniae inopes fuerint.

(*c*) τὸ νόμισμα πᾶν τὸ ἐξίτηλον ἐξεώνευσε. conf. Io. Aug. Bachii *D. Traianum siue commentarium de legibus Traiani* p. 135.

(*d*) v. Xiphilini Excerpt. e Dionis L. LXXVII. p. 1300. ed. Reimar. quem doctissimum virum in notis vide. τὸ μὲν γὰρ ἐκ μολίβδου καταργυρούμενον, τὸ δὲ καὶ ἐκ χαλκοῦ καταχρυσούμενον ἐσκευάζετο.

(*e*) in Annal. L. VIII. p. 416. (ed. Paris. 1686.) καίπερ ἐν ἀχρηματίᾳ ὄντες, ὥστε τὸ ἀργυροῦν νόμισμα ἀμιγὲς καὶ καθαρὸν γενόμενον πρότερον, χαλκῷ προσμίξαι.

rint, vt *argenteum numum, impermistum antea et purum, aere admixto adulterarent.'* Non memini quenquam alium rei mentionem facere.

Atque haec quidem sunt, quae de antiquis Romanis scimus. Quare ad alios nunc populos progrediemur. Nam de fabulosis Helenae numis vix operae pretium est, quidquam dicere.

II.

Numi sunt quidam, plerumque scutulati, quorum parte altera Constantini M. et Helenae, altera Seruatoris imago deprehenditur. Hos ad numos necessitatis causa percussos referremus, si vera esset fabula, quam Wagenseilius (*f*) ex Antonio del Castillo (*g*) et Michael. Heberero (*h*) narrat. Inueniuntur, hic dicit, Constantinopoli, inprimis, si terram effodias, numi cuprei, ea magnitudine, qua illi, quos calculos appellant, cum imagine foeminae, sine epi-



(*f*) *de re monetali veterum Roman.* p. 78. seq. add. Koehlerum in *Historisch. Münzbelustigungen* P. VI. 112.

(*g*) liber prodiit Madriti 1665. sub titulo: *El devoto Peregrino y Viage de tierra Santa.*

(*h*) *Seruitutis Aegyptiac.* L. II. c. 49. p. 309.

graphe, paullum depressa, quasi digito. Hos numos dicunt superstitiosi. Graeci, magna cum fame homines vrgerentur, Helenam finxisse e terra aut luto, vt Constantino succurreret, magnamque esse illorum vim in morbis depellendis. Sed quis non falsitatem huius narrationis intelligit? Quare ad certiora pergemus, si modo in tantis tenebris certa multa deprehendere liceat.

## III.

In Gallia imminutionem monetae necessitate factam esse, indicare videtur Car. Molinaeus (i). *cumque tempore*, inquit, *Philippi Pulchri, circa medium regni sui, anno 1300. propter duas incursiones Anglorum et Flandrensium et ingentes clades regno illatas et tyrannidem Bonifacii Octaui deteriorata fuisset intrinsecus moneta — idem Philippus circa annum millesimum tricesimum octauum veterem probitatem monetae restituit — et ex dictis Oldra. apparet, deteriorationem illam monetae enormissimam fuisse —. Addit Anto. histo. tit. 20. cap. 8. §. 16. Philippum bis hanc adulterationem monetae fecisse, ad ingentes impensas belli, bis magno, sed*

(i) *de mutat. monetae*, p. 556.

*sed euanido apparatu coacti, ad Flandrienses opprimendos* etc.

Philippum Pulchrum numismata corrupisse, et dimidiam aeris partem argento miscuisse, testatur etiam Io. Bodinus (*k*): idemque factum fuisse a Carolo VII. et Carolo IX. addit.

Sed videtur non tam necessitate, quam libidine ductus monetam corrupisse Philippus Pulcher. Inde etiam Le Blanc (*l*), qui hoc anno 1295. factum esse dicit, inquit: *La Guerre, que le Roy avoit avec les Anglois & avec les Flamans, étoit la cause ou le pretexte de ces affoiblissemens de la Monnoye d'argent.*

Hic scriptor diligentissime de numis Francicis exposuit, atque imminutos numos accurate recensuit. Exponit de Ioanne, Carolo



(*k*) de *re numar.* p. 736. et 740. et *de augm. et decrem. auri et arg.* p. 766.

(*l*) v. *Traité Historique des Monnoyes de France.* prolegom. p. 19. add. p. 179. vbi dicit: *Les grandes guerres, que ce Prince eut à soutenir contre ses voisins, ayant épuisé ses finances, il fut obligé d'affoiblir sa monnoye pour avoir de l'argent.* confer Savotium dans *le Discours sur les Med. ant.* L. III. c. 4. p. 144. et p. 151.

rolo VI. (*m*) Carolo VII. (*n*) quasque inde moneta, vsque ad a. 1641. deminutiones perpessa sit (*o*), memorat.

Monetam coriaceam Ioannis, Franciae regis, medio circiter XIV. seculo, post praelium infeliciter a. 1356. commissum, in vsu fuisse, Guidonem Papam narrare, ab aliis notatum est. Neque enim ego ipse librum istum videre potui et legere. Rei mentionem facit primum Budelius (*p*): *Huc pertinet, quod tradit Guid. Pap. Dec. Delphi. 493. videlicet tempore captiuitatis regis Ioannis in vsu fuisse, et cucurrisse in regno monetam coriaceam*, quod *refutat ac pro delirio plane, ac puerili fabula habet Molinaeus* — *Ego vero pro indubitato habeo, vt memini quoque paullo ante, Principem, bellis ingrauescentibus, et necessitate ita vrgente, vel ex corio, cortice aut sale, aliaue materia quauis monetam ordinare posse, si modo damnum per hoc communitati illatum postea per bonam melioremque monetam resarcire studeat.* Operae igitur pretium est, ipsius Caroli Molinaei

(*m*) Ibid. p. 22. (*n*) p. 23.

(*o*) p. 25. 26.

(*p*) de *monet. et re numaria*. L. I. p. 7.

linaei verba addere (*q*): *Sic delirat Guido Papa, decisio. Delphinat. 493. dicens: tempore captiuitatis Regis Ioannis factam fuisse et cucurrisse in hoc regno monetam coriaceam: quae est puerilis fabella, anilibus deliramentis similis, imo verum deliramentum: videre enim et discutere volui plura regesta praefectorum monetalium illius temporis et inueni, quod tunc veniebat et cudebatur in regno multo melior moneta, quam nunc fiat: cudebantur enim aurei pecude villosa signati; Galli vocant:* Moutons à la grande laine, *quos Budae. lib. 3. Assis, dicit nulli auri bonitate secundos esse, sed primam auri notam obtinere, quorum inuentum videtur Budae. libr. 5. eidem Regi Ioanni attribuere: sed ex regestis monetalibus comperi, etiam tempore Philippi Pulchri et successorum fabricatos fuisse. Caeterum moneta argentea et promiscua, quae tempore dicti regis Ioannis cudebatur, erat duplo melior in bonitate intrinseca, pecunia nunc currente. Sunt, qui coriaceam illam pecuniam etiamnum ariolentur in vsu fuisse tempore expeditionis et captiuitatis Ludouici noni in Aphrica. Sed simile delirium est, et nihil in monumentis publicis aut alio fideli testimo-*

(*q*) in Tractat. *de mutatione monetae*, p. 863.

*testimonio inde reperitur. Non ignoro, quid nullo authore dicat Alexan. Alexandrius Genia. dier. lib. 4. c. 15. de numis ex coriis boum, et scorteis assibus Numae, quod tam fabulosum est, quam ἀδέσποτον.* A Molinaeo autem Le Pois et Claudius Chiffletius dissentiunt. Ille dicit (*r*): *L'empereur Federic Barberousse (comme j'ay leu), pour or & argent paya une fois son armée avec pieces de cuir, au milieu des quelles estoyent quelques petits cloux d'argent: & lit on le semblable avoir esté faict par un Roy de France:* quanquam potest etiam alio respexisse. Sed clarius hic (*s*): *Id aliquando factitatum in Gallia, Ioannis Regis temporibus, cum alii, tum ex nostris Vidius Papius auctor est, vt mirer, fabulosum existimatum a Car. Molinaeo, quod de coriacea moneta traditur: qui si eos auctorum locos notasset, haud dubie aliter sensisset. Nam vt de Ioanne Rege vsquequaque verum non putem, tamen quin alio tempore coriacei numi introducti fuerint, nemini dubium esse potest.*

Nobis

(*r*) dans *le Discours sur les Medailles & Graveures antiqu.* (Paris. 1579.) p. 6.

(*s*) *de antiquo Numismate.* c. 13. p. 674. in T. I. *Thes. Sallengerian.*

Nobis quidem aliquid certi de hac re pronunciare non licet: ſed cauſa tamen, quae Molinaeum ad rem negandam adduxit, nobis non ſatis firma videtur. Negat ille, numos vllo modo pecuniae vim obtinere poſſe, niſi internum habeant pretium. Quod ita concedemus illi, vt addamus, non ab auro ſolo et argento illud pretium pendere, licet quae pro nobilitate horum metallorum dicantur, non ignoremus. Teſtantur hoc exempla complurium populorum, Americanorum inprimis, qui longe alias res, quam metalla, in vſum monetae transtulerunt. Alii conchyliis vtuntur, alii lapillis in mari repertis, alii cortice arborum, alii aliis rebus (*t*). Sed dabimus etiam, quod negari non poteſt, plurimis in regionibus nullum fere numorum eſſe pretium, niſi auro et argento, certe metallis conſtent. quomodo ideo etiam dicamus, neceſſitatem nullos alios admittere? Quid? eo tempore, quo etiam carnem equinam et panem furfuraceum lubenter edimus, non numos chartaceos et coriaceos accipiemus, ſi nulli alii adſunt? Praeterea bene notandum eſt, non perpe-

(*t*) vide Wagenſeilium l. c. p. 16. et Sperlingium in diſſ. *de numis non cuſis* c. 39. p. 269. ſequ.

perpetuum iis vsum tribui, sed ad aliquod tantum tempus, eosque tum aliis melioribus permutari. Interim tamen numorum ex corio factorum fit ab antiquis scriptoribus mentio. Non vrgebo, quod apud Isidorum legitur (*u*): *Pecunia de pecudibus et proprietatem habebat et nomen. De corio enim pecudum nummi incidebantur et signabantur.* Senecae (*x*) locus est: *Aes alienum habere dicitur, et qui aureos debet, et qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedaemonios fuit, quod vsum numeratae pecuniae praestat.* Anonymus etiam auctor Notitiae vtriusque Imperii subditus (*y*) inquit: *Sed posteriores fastidientes priscae vtilitatis inventum formatos e coriis orbes auro modico signauerunt, quibus regum munificentia et commutationum necessitas intactis collationibus vtebatur.* Sed nimis longe a re proposita discedimus. Quare tantummodo duo loca,

(*u*) L. XVI. cap. 17.

(*x*) De *Benefic.* L. V. c. 14. vide tamen, quae de hoc loco disputat Salmasius *de Vsuris* c. 16. p. 465. vbi etiam quaedam habet de coriacea Carthaginiensium pecunia.

(*y*) editus sub titulo: *Philosophi Veteris Anonymi de re monetaria monitio ad Theodosium Augustum, eiusque filios etc.* a Frehero exstat in *Thesaur. Graeuian.* T. XI. p. 1416.

loca quae huc pertinent, afferemus. Alter est Suidae (z), Ἀσσάρια. ὀβολοί. Νέμμας, ὁ πρῶτος βασιλεὺς μετὰ Ῥωμύλον Ῥωμαίων γεγονώς, ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ πεποιημένα πρῶτος ἐχαρίσατο Ῥωμαίοις, τῶν πρὸ αὐτῦ πάντων διὰ σκυτίνων καὶ ὀςρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων· ἅπερ ὠνόμασεν ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος Νεμμία (a), ὥς φησι Τραγκύλλος. alter est locus Cedreni, laudatus etiam a Kustero (b): ἀσσάρια δὲ ἀπὸ σιδήρε καὶ χαλκοῦ πεποιημένα πρῶτος (sermo est de Numa) Ῥωμαίοις ἐχαρίσατο, τὸ πρὶν διὰ σκυτίνων καὶ ξυλίνων καὶ ὀςρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος Νουμμία ἐκάλεσε. Neque video, cur hoc nummorum genus non locum habere possit in populo, qui non commercia exerceat longius, qui non opus habeat ex aliis regionibus res arcessere, qui αὐτάρκης sit. id quod de antiquorum temporum populis recte dici puto.

Denique

(z) T. I. p. 347. ed. Kuster.

(a) p. 148. vid. Scaliger. ad Euseb. p. 384.

(b) dissentiunt et refutant hanc opinionem Scaliger in *Coniectan. ad Varron. de L. L.* p. 37. 74. et Willebr. Snellius *de re numaria.* p. 2.

Denique etiam a. 1719. tanta argenti inopia Franciam laborasse, Kundmannus (*c*) narrat, vt, qui pro principe erat, dux Aurelianensis, nomine Ludovici XV. cupreos numos cudere cogeretur. In aduersa parte est regis effigies. LVDOVICVS XV. DEI GRATIA. In altera scutum cum liliis Gallicis coronatum. FRANCIAE ET NAVARRAE REX. 1719.

IV.

Transeamus in Belgium, quod nobis duo exempla praebet.

I. Cum Harlemum obsideretur ab Hispanis, ordines Hollandiae et Seelandiae vndique copias ad eam vrbem liberandam colligebant. Vt vero et ad hanc rem et ad alia negotia pecunia adesset, ex omnibus vrbibus colligebant vasa e templis et monasteriis. Hinc numos percuderunt: sed quia tam longo bello omnia exhausta erant, coacti erant necessitate, vt a. 1573. valorem monetae ordinariam octaua parte augerent. Sunt illi thaleri cum Philippi imagine, alii

(*c*) in *Numis Singul.* p. 59.

alii toti, alii dimidii: etiam, qui quartam et octauam Philippici partem aequant: impressumque habent typo paruulo insigne Hollandicum aut Seelandicum; vt et in commerciis valerent, et deinde mutari possent melioribus (*d*).

II. Annus 1698. maxime infestus fuit Belgio ob caritatem annonae, et hanc calamitatem lenire studuit variis modis magistratus. Amstelodamensis inprimis cudi curabat numos quosdam rotundos et quadratos plumbeos, quorum in aduersa parte arma Amstelodamensia, quae duo leones tenent: in altera littera w et supra 32. (qua nota indicatur ea pars vrbis, cui datus numus.) Pauperes vero, qui panem emere vellent, adire debebant tribus quisque sui praefectum, atque tot numulos postulare, quot panibus indigebat. Pistor deinde hoc numulo accepto panem tradebat: omnesque hos numos sub finem hebdomadis ad certos homines

(*d*) vide Loon *Histoire Metallique des Pays-Bas.* P. I. p. 162.

mines a magiſtratu conſtitutos deferebat, qui illos meliori pecunia redimebant. Porro diſtribuebantur alii cuprei numi inter ciues, quibus monſtratis, vt hyemali frigori reſiſterent, ligna poterant accipere ex certis aedibus. Sunt illi octogoni, ab vna parte ſignati: In medio litterae A, O, H, apparent connexae: in margine O V W Z TVRFHUYS (*e*).

Eadem de cauſa ſuperiori ſeculo Delphis cuprei numi cuſi erant (*f*).

V.

Pergamus ad Septentrionem. Suecia nobis inſignem horum numorum copiam dabit.

Non loquor de numis a regibus Sueciae corruptis aut adulteratis. nam neque eorum deſunt exempla. Brennerus (*g*) narrat: Ericum Pomeranum, poſt ſumtuoſam peregrinationem in terram ſanctam reducem in patriam,

(*e*) Loon dans *l'hiſtoire Metallique des Pays-Bas* P. IV. p. 287.

(*f*) Frans van Mieris *Hiſtori der Nederlandſche Vorſten.* T. III. p. 210. et 426.

(*g*) in Theſ. Numm. Sueo-Goth. p. 28.

patriam, ciuibus monetam cupream pro argentea, nouo et insolito more, obtrusisse, ob eamque caussam male audiuisse: quam ignominiam vt deleret, Philippam, Henrici IV. Angliae regis filiam, monetam argenteam, vel inscio marito, cudi iussisse.

Illi numi in prima parte habent crucem cum epigraphe: ERICVS. REX. D. S. N. in altera litteram E coronatam, cum inscriptione: MONETA LVNDENSIS.

Non solum Christianus I. vili metallo numos cudit (*h*), sed etiam Christianus II. (*i*) tyrannide sua Suecis improbam monetam obtrusit, per contumeliam Klippingi cognomine ideo notatus.

Verum haec exempla non pertinent ad nostram instituti rationem. Quare ad Caroli XII. tempora properamus.

Cum Rex Suecorum Carolus XII. a. 1714. in regnum suum rediisset, omnia inuenit exhausta, aeraria vacua, iuuentutis militumque florem valde minutum: vno verbo, non inueniebat, quibus hostium impetum retundere, animumque vindictae cupidum ex-

 plere,

(*h*) Ibid. p. 36. (*i*) Ibid. p. 46.

plere, atque etiam aes alienum in Turcica aula contractum soluere posset. Inde consiliis Georgii Henrici Baronis de Goertz a. 1715. omnem rem monetariam mutauit, atque hoc modo, quantum pecuniae ad bella gerenda satis esset, comparare studuit. Quod vt eo melius intelligatur, paucis rationem Suecicae monetae explicabimus. Sunt in Suecia triplicis generis thaleri: thaleri imperiales, thaleri argentei, et cuprei thaleri. Ille Imperialis argenteos duo, siue sex cupreos valet: argenteus dimidium Imperialem, siue tres cupreos aequat: cupreus est igitur sexta Imperialis et tertia argentei pars. Laminae cupreae olim in vsu fuerant maximo, quarum quae sex libras aequauit, vnum Imperialem valuit. Sed valor mutatus est. Lamina eiusmodi tempore Caroli XI. a. 1683. notata verbis: *2 Daler Silfwermijnt* quinque libras aequat: quaeque vnius argentei notam a. 1682. praefert, duas et semissem libram aequat. Tum editae sunt laminae eiusmodi a Carolo XII. a. 1715. dimidiae tantum librae pondus seruantes. Tandem res eo peruenit, vt numuli Goertziani prodirent, quorum cum internus valor esset trium Pfennigorum, externus par esse debebat argenteo thalero: siue

dimidio

dimidio Imperiali. Cusi vero sunt huius generis decem, quos saepe in manibus habuimus (*k*).

I. A. Corona regia. 1715. B. I DALER S. M. aduersa est in omnibus eadem, praeter ornamenta quaedam: quare non repetemus eius descriptionem in reliquis.

II. Mulier sedens capite nudo, sinistra hastam tenet, dextra herbam tollit, nixa scuto cum tribus coronis. PVBLICA FIDE. 1716.

III. Miles Romano habitu indutus et galeatus, dextra tenens gladium, sinistra scutum Suecicum. WETT OCH WAPEN. 1717.

IV. Senex tenens infantem et falcem. SATVRNVS. 1718.

V. Deus fulmine cum trisulco: aquila ad pedes stante. IVPITER. 1718.



(*k*) vide eos in Kundmanni *Numis Singular.* Tab. II. Koehleri M. B. P. VI. p. 233. adde Car. Iacob. Baronis Start disp. *de Iure circa rem numariam.* praes. Chr. Nettelbladt. Gryphiswald. a. 1733.

VI. Miles Romanus, cum galea, hasta, et scuto. MARS. 1718.

VII. Vir laureatus, sceptrum, cui Sol additus, in dextra, et lauri ramum in sinistra tenens. PHOEBVS. 1718.

VIII. Mercurius cum caduceo et talaribus. MERCVRIVS. 1718.

IX. Miles Romanus cum hasta, et sublato gladio, quem leo comitatur. FLINK OCH FARDIG. 1718.

X. Foemina oculos et manus in coelum tollens, et ad pedes anchoram habens. HOPPET. 1719.

Hic vltimus numus, ob repentinam Regis mortem, non vsu fuit confirmatus: quemadmodum ob eandem causam quatuor iam parati typi, quibus inscriptum fuerat: ALEXANDER M. HERCVLES. THESEVS. DAEDALVS. non adhibiti fuerunt. Artifex typorum scalpendorum fuit Gallus, Rouyer. Dicuntur II. myriades eiusmodi numorum cusi esse. Noui vero semper typi ideo inuenti, quoniam, ne quis fraude ipse eiusmodi numos cuderet, priores sequentibus semper commutati fuerunt.

runt. Quanta vero calamitas, hac vili pecunia edita, exorta sit, vix credibile est. Summa erat annonae caritas: mercatores negotiari nolebant, atque operarii laboris hanc mercedem accipere recusabant. Quare etiam factum est, vt, cum Goertzius in iudicium vocatus damnaretur, inter praecipua crimina esset haec monetae corruptio. Odium sibi conflauerat incredibile, sacerdotum etiam, vt facile credi potest, qui Deos numis impressos idola Goertzii appellabant. Cum Holmiam captiuus duceretur, muliercula e plebe clamauit: Deus noster nunc nobis te tradidit: vide, an tui, quos nobis pro pecunia dedisti, dii e manibus nostris te liberaturi sint. Immo cum ad supplicium duceretur, populus exacerbatus clamauit: *Esto nu flink och fardig med denen Wett och Wapen.*

Sed, vt illud addamus, anno 1717. ne quidem satis cupri adfuit ad numos cudendos. Inde charta pro pecunia dabatur. Praefert illa tria sigilla, Praesidum Senatus, Consistorii et Iudicii aulici. In altera parte leguntur illorum Nomina: *CARL V. POLAS. Nicolaus Sternel. Andr. Stromborg.*

 Supe-

Superius impressa sunt verba: Anno 1717. TIJO DALER SILFWER-MIJNT (*l*).

## VI.

Necessitas complures numos in Silesia produxit, cum principes Silesiaci se turbis Bohemicis immiscuissent, Fridericum V. Palatinum secuti, illumque omnibus modis iuuare vellent. Nam, vt argentum suppeteret, a. 1621. constituerant, edixerantque, vt quiuis ciuium de auro suo, argento, annulis, torquibus, vnionibus, et supellectile simili certam pecuniam soluere deberet. Etsi vero etiam alia tributa exigerent, non tamen tantum, quantum opus esset, pecuniae conferri potuisse, ex aucto argenti et auri pretio in his numis patet.

I. A. Numus quadratus in circulo habet aquilam Silesiae inter numeros 1621. MONETA ARGENTEA SILESIAE SEX THALERO. Inter caudae pennas apparent litterae H. R. quibus monetarii nomen indicatur. Supra circulum minuto charactere impressum est:

(*l*) vide exemplum in Kundmanni Num. Sing. p. 50.

est: $\overset{4}{m}$: et infra P. Z. complicatis litteris. B. haec pars nuda est: nisi quod adest nota M. I. hic numus vnciam pondere aequat.

II. Sunt etiam alii minutiores, qui semunciam aequant. MONETA SILESIAE III. TALERORVM.

III. Tertiam ad classem refero, qui sicilicum aequant, cum inscriptione: MONETA ARGENTEA SILESIAE $1\frac{1}{2}$ TALERORVM.

IV. Prodierunt etiam aurei numi, qui in altera parte aquilam Silesiae laureo serto inclusam: in altera epigraphen habent: MONET AVRE SILESIAE XXV. IOACHIMICORVM. hi tantum tres ducatos pondere aequant.

V. Eodem typo eademque magnitudine, e vili materia numos cudebant cum inscriptione: MONETA ARGENT SILESIÆ XXX CRV. [*crucigerorum.*] (*m*)



(*m*) vid. Gottfr. Dewerdeck in *Siles. Numismat.* L. IV. c. VII. Koehler. P. IV. p. 369. et Kundmann. p. 69.

Accuratius complures recenset Kundmannus, quem adire iubemus, qui cognoscere voluerit, quos quisque Ducum Silesiae numos eo tempore cuderit.

VII.

Germania nostra saepissime illud fatum expertum est, vt numis pessimis obrueretur fere, summumque detrimentum acciperet. Vix enim vllam aliam regionem credo tot corruptores fraudulentos monetae et adulteratores tulisse, quot Germaniam habuisse constat. Sed hi relinquendi sunt ignominiae aeternae, qua illorum nomina notata sunt. Necessitatis vero numis accensendi videntur illi, qui initio belli trecennalis, siue a. 1621. 22. et 23. ab Electoribus, Principibus, vrbibusque Germaniae cusi sunt. Sed seriem illorum et indicem nobis nunc texere non licet: cum non satis instructi simus eorum scientia.

His autem addendus est memorabilis numus, qui numos necessitatis enarranti non praetereundus esse videtur. Loquor de moneta, a Iulio, Duce Brunsuicensi, cusa, et appellata *Iulius-Loeser*, de qua, quae Tentzelius,

lius (*n*), Phil. Iul. Rentmeierus (*o*), Kundmannus (*p*) et Koehlerus (*q*) exposuerunt, repetemus.

Hic igitur Iulius curauit grandes argenteos numos cudi, decem, quinque, duo et dimidium Ioachimicos pretio aequantes. Quemque ciuium pro fortunae suae conditione eiusmodi numum pro eo, quod in illo notatur, pretio, sibi alia pecunia emere, domi seruare, et certo tempore magistratui ostendere iussit. Necessitate vero vrgente, se hanc monetam ab iis repetere velle dicebat, et pro pignore aliis dare: deinde rebus melioribus se eosdem iis redditurum esse. Hoc modo Iulius accurate, quantum pecuniae sine foenore in regno suo esset, scire poterat, quantumque necessitatis tempore certissime colligere posset, tenebat. Ex vna igitur pecuniae summa duplicem faciebat: vnam, quae parata fuit in arca ciuium: alteram, quam a ciuibus interim acceperat, et

(*n*) in *Monatlich. Unterredung.* a. 1692. m. Oct. p. 796.

(*o*) in *Braunschweig. und Luneburg. Chronica.* p. 1011.

(*p*) in *Num. Singul.* p. 64.

(*q*) in *Histor. Münzbelustigung.* P. I. p. 393.

et qua ad reip. vtilitatem vti poterat. Neque tamen memoriae proditum est, Iulium hos numos repetiisse. Cusi vero sunt ab anno 1574. vsque ad a. 80. Numorum facies haec est:

A. Imago Ducis cataphracta cum galea, dextra securim militarem tenens, sinistram applicans gladio, quo cinctus: prope caput numerus 83. Hanc imaginem quatuor circuli ambiunt. In primo legitur: VON GOTTES GNADEN IVLIVS HERZOG ZV BRVNS V LVNEB. GOTTES VORSEHVNG MVS GESCHEHEN: in altero: O HERR BEHVET MIR NICHT MEHR DAN SEEL LEIB VND EHR: in tertio sunt duodecim signa Zodiaci, cum ea forma, quae illorum propria, tum qua in fastis indicantur: in quarto septem Planetae eodem modo. B. In quibusdam iterum Zodiaci signa et planetae: in aliis arma Brunsuicensia, inter duo Siluanos, quorum vnus globum imperii, alter lumen accensum in candelabro tenet. NEW HENRICHSTETIS. MVNTZ. NACH D. R. SCHR. V.

KORN

KORN GEN. BRVNSCHWEIGISCH IVLIVS LOESER AM WER X THAL. ALIIS. INSER. CON.

## VIII.

Memorabilis est numus, quid ad Egram (Eger) pertinet.

A. Vrbis Egrae insigne. cum pretio infra scripto 3 K in aliis 1 K. B. Tres stellulae. EGER. 1743. est rotundus, stanneusque (*r*).

In bello Austriaco ob successionem orto vrbs Egra a Comite Saxoniae, d. 19 April. 1742. globis flammeis iniectis ad deditionem cogebatur. Cum vero et mulcta vrbi indiceretur grauissima, et illa sumtus immanes facere cogeretur, hos numos cudit, vt in tanta argenti inopia haberet vulgus ad necessaria emenda monetam aliquam.

(*r*) dat Koehler p. 409. P. XV.

CAP.

## CAP. II.

### *De numis Castrensibus.*

Diximus supra ad numos necessitatis causa cusos pertinere etiam numos Castrenses. Hoc nomine appellamus eos, quos belli tempus pecuniaeque inopia produxit, quibusque militibus in castris stipendia soluta sunt. Recedunt plerique eorum a rotunda forma, et recepta metalli cum bonitate, tum materia. Nam et admixtum est bono nobiliorique metallo vilius, et totos habemus cupreos quosdam. Immo quia metalli penuria adfuit, cusi non raro sunt e vasis sacris aut alia suppellectile priuatorum conflata. Forma illorum varia est. Sunt rotundi multi: complures vero quadrati, aut, vt alii dicunt, rhombiformes.

Complures Castrenses numos exhibet Io. Iacobus Luckius in *Sylloge Numismatum Elegantiorum*. Sed, consideratis permultis eorum, videtur mihi Luckius non recte distinxisse numos necessitatis causa cusos ab iis, qui tempore belli ad memoriam rerum servandarum

vandarum prodierint (*a*). Certe quis numos eleganter sculpto typo conspicuos metallique bonitate insignes ad illos referat, qui ipsa facie praeferunt miseriam temporum, quibus nati sunt? Quare debebat, id quod etiam Koehlerus monuit (*b*), diligentius Luckius, cuius bonae fidei nihil detractum hac nostra obseruatione volumus, rem explicare, nec numis valde inter se diuersis vnum idemque nomen imponere. Quare nos coniectura ducti eos tantummodo ex illis elegimus, quos vere Castrenses esse, atque ad libri nostri argumentum spectare existimauimus.

I.

Primi numi Castrensis mentionem facit Crusius, eumque ab imperatore Friderico a. 1241. cusum esse memorat (*c*). Verba illius sunt: *Tandem vrbs* (Fauentia) *certis conditio-*

(*a*) Clara exempla vide p. 6. p. 17. p. 27. p. 31. p. 37. p. 45. p. 47. etc. clarissima p. 217. vbi dicit: *nummus — cusus rebus praeclare contra Turcas gestis* et p. 218. — *cusus ante expeditionem in Vngariam susceptam.*

(*b*) in praefat. ad P. I. operis vtilissimi: *Historische Münzbelustigungen.*

(*c*) in *Annalibus Sueuic.* P. III. L. I. c. 15. p. 48.

*conditionibus dedita est. Tunc autem Imperator, omni pecunia, caeterisque preciosis rebus consumtis, monetam ex corio fecit, in cuius vna parte Imperatoris imago erat, in altera vero aquila Imperii. Mandauit, vt, durante hoc bello, ab omnibus in emendo et vendendo acciperetur, pretio numi aurei Augustani. Nam confecto bello, pro singulis coriaceis totidem aureos venientibus persolutum iri. et sic factum est.*

## II.

Idem scriptor ab eodem Imperatore a. 1247. condita e regione Parmae, quam obsedit, Victoria, numos necessitatis cusos esse narrat (*d*). *Victoriatos*, inquit, *qui antea aurei cudebantur, iam scorteos facere coepit, cum perparua eius argentea effigie: proposito edicto, vt hi numo aureo censerentur. Fiscum suum tantidem illos aestimaturum accepturumque.* Huius rei etiam mentionem facit Budelius (*e*): *Coriaceam etiam monetam fabricasse Fridericus Secundus fertur: cum bellum acerbum diuturnumque cum Italis gereret, et vrbem Victoriam conderet: quemadmodum assignauit Georg. Agric. in*

(*d*) P. III. L. II. c. 4. p. 63.
(*e*) l. c. p. 8.

*in lib. de pond. et temp. Monet. et Arr. Pinell. ad Rubri. de rescinden. vend. num.* 4. Rem etiam memorat Leonhard Wilibald Hofmannus (*f*), sed ita, vt dicat, Fridericum Vrbini obsessum numos coriaceos cudisse; quod quo auctore dicat, nescio.

III.

Gustauus I. rex Sueciae a. 1521. in castris contra Christianum II. numos quadratos cudit duplicis generis, quos Brennerus dat (*g*).

I. A. Vir cataphractus palliatusque dextra gladium, sinistra globum crucigerum tenet. B. tres coronae inter duas sagittas decussatim positas, ita, vt vna corona inferius, duae superius appareant: supra G.

II. A. Vir cataphractus dextra ensem tenet, sinistram lateri applicans. B. idem fere typus, qui in superiore, nisi quod vna corona supremo loco appareat, duae medio, et littera G. infimo.

IV. A.

(*f*) *im alten und neuen Münzschlüssel.* p. 306

(*g*) in *Thes. Nummor. Sue-Goth.* p. 49.

IV.

A. Particula inaequalis. c. littera corona tecta. B. Insigne Noruagiae. Supra 1531. (*h*)

Cum per octo annos Christianus II. regno et imperio caruisset, mittebat in Noruagiam Gustau. Trollium, Vpsaliensem episcopum, pariter expulsum, qui ad partes Christiani varios episcopos trahebat. Hi et milites illi dederunt, et vasa sacra ad hos numos cudendos praebuerunt.

V.

A. Clypeus coronatus cum tribus leopardis Danicis: ab vtraque parte numerus 35. MON. CHRISTIANI DAN. SVEC. NOR. REGIS. B. Rex in solio cum corona, sceptro et globo. IMERITI CARCERIS APVD HOLSAT. A. 3. (*i*)

Christianus II. ductus est in captiuitatem a. 1532. Cum post mortem Friderici I. de successore non conueniret, Lubecenses, qui Belgis in mari Balthico nauigationem concedi

(*h*) dat Koehlerus P. XI. p. 41.

(*i*) Idem P. XIV. p. 329.

cedi aegre ferebant, se his rebus immiscuere. Quem negotio praefecerant, Comes Christophorus de Oldenburg a. 1534. in Holsatiam impetum faciebat, sed inde repulsus, mox Hafniam occupabat, tandem victus a Gustauo Sueco, quem nouus rex Christianus III. aduocauerat, d. 14. Ian. a. 1535. Cum pecuniae inopia laboraretur, hanc monetam conflabant, et, multa parte cupri admista, hos numos procudebant.

VI.

Numus inaequalis habet in medio clypeum: in quo leo Iuliacus, (id est, in aurea area leo niger, lingua rubra et argenteis dentibus vnguibusque,) inter anteriores pedes numerum 4 tenens, et prope caudam est numerus 3. (quem Luckius omisit).

In bello, quod Carolus V. contra Ducem Iuliaci, Guilielmum, gessit, quem Gallorum partibus fauere censebat, a. 1542. aut sequenti, hunc numum a Guilielmo cusum esse, non sine probabilitatis specie narrat Luckius (*k*), a quo etiam datus est.



(*k*) in Syll. p. 106. et vide Frans van Mieris in *Histori der Nederlandsche Vorsten* P. III. p. 76.

VII.

Numus quadratus. in medio clypeus bipartitus: in altera parte gladios Archimarſchalli, in altera arma Saxonica habens. ſupra H. HF K. ad vtramque clypei partem folium incuſſum: infra 1547. (*l*)

Litterae explicandae ſunt: *Herzog Hans Friedrich Kuhrfürſt.* Sunt quinque diuerſi in minutiis quibusdam a ſe inuicem numi eiusmodi.

VIII.

A. Numus inaequalis. Inſigne Landgrauii Haſſiae, ſiue leo coronatus: ſupra P. L. B. arma Ziegenhainenſia. Supra 28. quo valor indicatur (*m*).

Hi numi cuſi ſunt tempore belli Smalcaldici, ille a Iohanne Friderico, Duce et Electore Saxoniae: hic a Philippo, Landgrauio Haſſiae, ex illius ſupellectile argentea. Huc pertinet etiam tertius.

IX.

(*l*) Ibid. p. 113. Mieris P. III. p. 166.
(*m*) van Mieris l. c. P. III. p. 125.

IX.

Quadratus. Arma Mansfeldica. ab vtraque parte scuti turris apparet: supra A G Z M. Subtus 1547. (*n*)

Est hic cusus ab Alberto, Comite Mansfeldico, qui in bello Smalcaldico Electoris Saxoniae partes sequebatur.

X.

Quadrati numi. Insigne Brandenburgicum: id est, aquila tenens in pectore arma Zollernensia. supra: A M Z B. in medio ab vtraque parte crux: infra 1552.

Quidam tantum Zollernensia arma habent, in medio ab vtraque parte 1553. infra ad sinistram partem conspicitur rosa: supra eaedem litterae (*o*).

Durissime Germaniam afflixit Albertus, Marchio Brandenburgo-Culmbacensis, obsessa Norinberga, regione ciuitati huic subiecta vastata, Episcopis Bambergensi et Her-

 bipolitano

(*n*) Ibid. p. 123. et Mieris P. III. p. 168.

(*o*) Ibid. p. 146. Koehler. P. III. p. 409. add. p. 433. P. IX. p. 249. et 257. Mieris P. III. p. 302.

bipolitano vexatis, cunctisque locis incendiis repletis: proscriptus etiam ob has turbas. Rapuit inprimis multa vasa e templis, et, tributis maximis imperatis, pro pecunia eadem accepit, e quibus, praesertim ex iis, quae ciuitati Schweinfurtensi, misere afflictae, extorserat, hos numos cudit, aureos et argenteos. Litteras interpretor: *Albertus Marggraf zu Brandenburg.*

## XI.

Quadratus numus argenteus. Aquila vniceps cum clypeo, in quo arma Vngariae et Austriae, in pectore. Supra F. R. V. Infra aquilae pedes duo gladii decussatim positi, et ab vtraque parte 52. (*p*)

Cusus hic numus eo anno, qui Vngariae satis infestus fuit, Turca multa feliciter agente, et arces quasdam expugnante. Koehlerus putat, eos numos conflatos esse ex argentea supellectile Cardinalis et Archiepiscopi Strigoniensis, Georgii, a. 1551. interfecti. Forma est inaequalis fere: vt aliorum, festinanter cusorum, quibus celeriter ad stipendia

(*p*) Ibid. p. 149. Mieris. P. III. p. 103. et Koehler. P. V. p. 409.

pendia soluenda opus fuit. Litterae explicandae sunt: *Ferdinandus rex Vngariae.* Gladios Mauritii Electoris causa additos fuisse, narrat Mierisius, cuius milites contra Turcam cum rege Romano se coniunxerant aliquamdiu.

XII.

Numus male rotundus in medio habet quadruplicem clypeum: cuius in prima et quarta alba area est nigra crux: in secunda et tertia rubra, argentea cremastra focaria *(crémaillére)*, illa ordinis, haec Kettleriorum arma. supra G M Z L. infra 1559. (q)

Prouocata aliquoties Russorum ira, non mirandum erat infortunium, quod ordo Teutonicus sibi contrahebat, exercitu hostili a. 1558. Liuoniam deuastante. Qua in calamitate ordinis magister, Furstenberg, munere suo abibat, illudque Gotthardo de Kettler a. 1559. tradebat. Qui cum vix eo fungi coepisset, milites Germani atrociter stipendia sua flagitabant, quibus vt satisfieret, ex vasis sacris et reliqua supellectile ordinis argentea hos numos cudit. Litterae sunt explicandae. *Gotthard Meister zu Liefland.*



(q) Koehler. P. IV. p. 385.

XIII.

A. Imago hominis armata, et coronata, dextra gladium, et finistra coronatam clauam gestantis. 1562. HERACLIDIS DESPOTAE PATRIS PATRIAE.
B. Clypeus variis figuris orhatus, supra quem eminet biceps aquila, corona aperta tecta. VINDEX ET DEFENSOR LIBERTATIS PATRIAE (r).

Qui dignum facinoribus exitum tandem inuenit, Ioannes Basiliscus Heraclides, Despotes, Graecus, mentitus summum splendorem generis, adiutus ab Imperatore Ferdinando, Moldauiam inuasit, et, victo Vaivoda, vt principem appellant, Alexandro, coronatus est a. 1562. creatusque princeps Moldauiensis. Sed, omnibus exhaustis, tamen non habebat, vnde et militibus stipendia solueret, et tributum aulae Constantinopolitanae, quod pollicitus erat. Inde candelabrum, quod Alexander e solido argento ingentis ponderis parari iusserat, ac monasterio Graecorum monachorum, quos Caloieros vocant, dicauerat, conflari, et ex eo monetam cudi iussit.

XIV.

(r) Koehler P. XVIII. p. 33.

XIV.

Numus quadratus. A. In clypeo cum corona regia E. R. ab vtraque parte 2 O R. B. in simili clypeo tres coronae: ad vtrumque latus 1562. (*s*)

Numus hic Castrensis pertinet ad bellum septennale a rege Sueciae, Erico XIV. contra Fridericum II. Daniae regem gestum.

XV.

Ad idem bellum pertinet alius, sed a Friderico Dano cusus, eadem quadrata forma (*t*).

A. In clypeo coronato arma Daniae, siue tres leones superingredientes. B. 11 SRILLI 64.

XVI.

Thalerus rotundus, sed vna tantum parte cusus. In clypeo vulpis, seu lupus, erectus, et quasi e triplici colle escendens: capiti appositae luna et stella. infra 1565. supra IO. SE. REX VNG. (*u*).



(*s*) Luckius p. 200. (*t*) Ibid. p. 208.
(*u*) Ibid. p. 214. *Hamburgische Historische Remarqu.* P. V. p. 65. Kundmannus in *Num. Singular.* p. 96. et Lochner *in Samlung merkwürd. Medaill.* T. VI. p. 245.

Post mortem Ludouici II. Ioannes de Zapolia, siue Comes Sipusiensis a. 1526. sibi coronam regiam arrogauit, et contra legitimum regem Ferdinandum, vna cum matre, Turcarum auxilium implorauit. Hos aiunt ea conditione illius partes suscepisse, vt tanquam feudum haberet regnum Vngariae et in armis canem praeferret. nam, vt canes, contemni addunt a Turcis Christianos. Sed est haec mera fabula, nullius idonei scriptoris testimonio firmata; ipsiusque numi adspectu refutanda. Potius arma auita Ioannis Sipusii, id est, vulpem hunc numum praeferre, eumque, cum contra Maximilianum arma mouisset, cusum esse, recte viri docti docent.

## XVII.

Numus quadratus. in circulo habet haec: REGIAE MAI. RECONCILIATA ZIRIZEA 24. IVLY A°. 1576.

Sunt etiam rotundi cum hac inscriptione: in altera parte habentes arma vrbis.

Sunt alii quoque quadrati magni: in vno circulo habent arma vrbis, in altera eam inscriptionem: supra leo Seelandicus: infra

infra 1576. adeo vt quatuor typos hi praeferant (*x*).

Vrbs Seelandiae antiquissima, Ciericsee, post nouem mensium obsidionem, quam Duce Arnoldo van den Dorp fortiter tolerauerat, a Mondragonio expugnata, regis veniam sibi magna argenti vi conciliare debebat. Hinc ex reliqua argentea supellectile hos numos cudit, quibus etiam ante abitum militibus stipendia soluebat. Hinc eos ad Castrenses retulimus.

Arma Groningensia. Supra G. in margine: NECESSITATE. 4 FEB. 1577. numus quadratus (*y*).

Franc. Stella Groningam missus, vt vrbem foederatis adiungeret, pollicebatur militibus, si ordines Belgii sequerentur, reliquum, quod illis debebatur, stipendium se soluturum esse. Hinc seditionem excitant, illasque partes amplectuntur. Vt vero stipendia illis solui possent, vasa argentea captorum ducum, et nobilissimorum ciuium conflata sunt.

XVIII.

(*x*) vide Loon P. I. p. 214. et Koehlerum P. IV. p. 443. add. P. VIII. p. 81.

(*y*) Loon P. I. p. 226.

XVIII.

A. Effigies regis coronata. SIGISM. III. D. G. REX. POL. DES. SVECIE. B. in duplici circulo gladius erectus. PRO IVRE ET PRO POPVLO. numus quadratus.

XIX.

A. Aquila Polonica coronata, cum littera P in pectore. B. mulier ſtans, cum galea, haſta et ſcuto. forte Minerua. an Bellona? etiam qudratus (z).

Hi numi cuſi ſunt a. 1587. a Sigismundo Sueciae principe, qui, rex Polonorum electus, de regno cum Maximiliano, Archiduce Auſtriae, quem etiam alia pars Polonorum, poſt Stephani Bathorei mortem regem renunciauerat, diſceptabat.

XX.

Numus quadratus tria habet ſerto incluſa ſcuta. Primum eſt quadripartitum. habet in area rubra baltheum dextrum, in altera leonem, tertia aquilam, quarta arma Alſatiae. Adſcriptus annus 1592. Infra et iuxta ſe poſita ſcuta duo

(z) Luck. p. 302.

duo Capituli et ciuitatis Argentoratensis arma habent. In imo 80. quo valor numi indicatur (*a*), qui numerus in aliis deest.

Post mortem Episcopi Argentoratensis Ioannis d. 2 Maii, a. 1592. Capitulum in duas partes discindebatur. Nam Canonici Pontificii Carolum, Lotharingiae ducem et Episcopum Metensem elegerant: alii, qui reformata sacra sequebantur, Ioannem Georgium, Marchionem Brandenburgicum, elegerunt Episcopum. qui paullo post etiam aduenit, et ab Argentoratensibus milites accepit, quibus Badenses mox, aliique accedebant, ita, vt non exiguas copias haberet. His ne stipendium deesset, hi numi cusi fuerunt.

XXI.

A. Corona, sub qua litterae C. D. S. et sub his I. M. B. fasciculus spicarum coronatus cum numeris 1598. in quatuor angulis positis. Numus est quadratus.

In aliis IV. M. apparet, in aliis minoribus numerus 98.

XXII.

(*a*) Luckius p. 336. et Lochner P. IV. p. 125.

XXII.

Numus quadratus. A. nomen Iehoua Ebraicis litteris in media luce. in quatuor angulis diuisi numeri 1599. B. manipulus spicarum, symbolum stemmatis Suecorum gentilitii familiare. C. D. S. (*b*)

Numi hi cusi sunt, temporibus illis, quibus inter Carolum, Sudermaniae Ducem, et Sigismundum III. Poloniae et Sueciae regem summae turbae ortae erant. Dicitur Carolus eos e vasis argenteis conflatis cudisse, vt haberet, stipendium militibus soluendum.

XXIII.

Numi quadrati aurei. A. litterae G. W. C. connexae. supra XII. etiam VI. etiam III. in aliis. B. ANNO BRASIL 1646. in circulo supra XII. In medio litterae G W C. connexae: subtus 1654. Literae sunt explicandae: *Geoctroyerde Westindische Compagnie* (*c*).

Pertinent hi numi ad Societatem Belgicam, quae in India Occidentali negotia sua

a. 1646.

(*b*) Luck. p. 377. Brenner l. c. Tab. 2. Car. IX. Koehler P. III. p. 305. 440.

(*c*) Loon p. 283. et 369. P. II.

a. 1646. valde afflicta eſſe videbat. Preſſa tandem a Luſitanis, omnia a. 1654. in Braſilia amiſerat. Cum ob inopiam rerum, tum ob militum rebellem ferociam, quibus vt ſatisfacerent, neque vt illi ad hoſtes tranſirent, hi numi cuſi ſunt.

XXIV.

A. Imago Iacobi laureata. IACOBVS II. DEI GRATIA. B. Duo ſceptra decuſſatim poſita habent in medio coronam, cui adſcriptae litterae I. R. In margine: MAG. BR. FRA. ET. HIB. REX. 1689. In aliis ſupra coronam eſt XXX. in aliis XII. in aliis VI. infra inter ſceptra alii habent *Sep.* alii *Oct.* alii *Ian.* ſunt rotundi cuprei (*d*).

Hi numi cuſi ſunt a. 1689. a Iacobo, cum Hiberniam appuliſſet, nec haberet, vnde militibus ſtipendium ſolueret. Pollicitus erat, ſe, meliori ſibi fortuna reddita, et imperio reſtituto, eos bonis mutaturum eſſe. Exuti deinde ſunt pretio a rege Guilielmo.

XXV.

(*d*) v. Loon P. III. p. 432. Lochner P. I. p. 217.

XXV.

Huc etiam referimus cum Kundmanno (*e*) illos cupreos florenos et dimidios florenos, quos Comes Franciscus Ragoczy a. 1704. 1705. 1706. cudit, in occupatis quibusdam Hungaricis vrbibus.

A. Scutum cum armis Hungaricis, ab vtraque parte numeri: 1705. B. Maria coronata, sinistra manu sceptrum, dextro brachio coronatum Christum tenens: et sub pedibus luna. ab vtraque parte P. H. (id est, Patrona Hungariae.) inscriptio: PRO LIBERTATE. infra XX. In dimidiis florenis est numerus X. In minimis cupreis est etiam: A. Maria, dextra sceptrum, sinistra filium tenens: subtus luna: PATRONA HVNGARIAE. B. arma Hungariae. POLTVRA. (est nomen numi) A. 1706.

(*e*) in *Num. Singul.* p. 59.

CAP.

## CAP. III.

### *De monetis obsidionalibus.*

Venio nunc ad eos numos, quorum caussa totus hic labor nobis susceptus est. Enarrare enim nobis constitutum est numos, in obsessis ab hostibus vrbibus cusos. Quod ad genus hoc numorum, formamque et materiam attinet, scripsit Gallus quidam, *Claude Gros de Boze*, de illis disputatiunculam. Quoniam ille solus et vnus, quantum scimus, rem hanc sibi explicandam sumsit, licet satis leuiter et negligenter eam exposuerit, impatiens laboris et diuturni studii: totam eam hoc loco repetendam esse duximus; notulis nostris additis. Potest esse ea loco prooemii non inutilis, priusquam lectores ipsum horum numorum indicem perlustrent.

## *De numis obsidionalibus disputatiuncula, e Gallico (a) in Latinum sermonem translata.*

*Posteaquam complures vrbes in nupero bello ab hostium copiis obsessae numos, quos* obsidionales *vulgo appellant, ediderunt: accidit aliquoties, vt multi, et in his etiam, qui inter amicos Regis locum haberent (b), Academiam consulerent, quae esset origo horum numorum, quique vsus? quam deberent formam habere? et an liceat arcis alicuius praefecto, imaginem suam illis imprimere? Hinc mandatum fuit* Bosio (c) *a. 1710. vt harum quaestionum varietati responderet. quae igitur ille de hac re in litteras retulerit, recitaueritque, ea nos, summa rerum capita secuturi, repetemus.*

*Videtur*

(a) exstat dans *l'histoire de l'Academie des Inscript. & belles lettres.* T. I. p. 348. (ed. Amstel.) sequ.

(b) Loonius in praefat. T. I. operis saepius memorandi dicit, Gallos aegre tulisse libertatem, qua vsus a. 1709. in obsidione Tornacensi Suruillius suam imaginem in numo exhibuit.

(c) *M. de Boze.*

Videtur ille mos, qui numos quosdam singulares in obsessis vrbibus produxit, eorumque certum quendam valorem, durante obsidione, esse iussit, antiquissimus esse. Ab ipsa enim necessitate originem habere videtur. Atque etiam, cum hi numi multo maiorem valorem in commercio nanciscantur, quam ab interno pretio habeant, vtilissima haec res esse videtur cum praefecto vrbis, tum magistratibus, etiam reliquis a militibus inclusae vrbis ciuibus.

Plerumque hi numi luculenter eam calamitatem, quae illos cudi iussit, testantur. Sunt enim et e metallo vili conflati, et parum eleganter elaborati. Sunt quidem, qui et ab argenti praestantia, et a typi elegantia se commendent. Verum eos magis ostentatio, quam necessitas, peperisse videtur.

Forma illorum nulla est certa aut perpetua. Nam et rotundos habemus, et ouales, et quadratos: alii octogonae, alii triangularis formae sunt: alii rhombiformes.

Neque certiores habemus regulas de typo et inscriptione. Alii sunt ab vtraque parte signati, id quod raro accidit, alii ab vna tantum. Modo arma vrbis obsessae, modo principis, cuius sub ditione illa est, interdum

*etiam praefecti militum in iis conspiciuntur. Plerumque nihil in illis aliud apparet, quam nomen vrbis, (siue illud totum expressum, siue litteris quibusdam tantum indicatum sit,) et numeri, quibus et annus et valor numi significatur.*

*Difficile (d) fore, credo, si quis perpetuum illorum historiam contexere voluerit: quia et studiosi harum rerum eos colligere omiserunt, nec vllus est, qui de hac re scripserit. Illorum tamen, quos nos nouimus, numerus, varietasque, eorumque temporum recordatio, quibus illi cusi sunt, iucundam disputationi materiam praebere videntur.*

*Antiquissimi omnium obsidionalium numorum, quantum constat, cusi sunt initio seculi XVI. cum Franciscus I. Italiae bellum inferret, repetendique eidem ab obsidionibus Paviae et Cremonae, a. 1524. et 1526. (e) Tribus annis post similes vidit Vienna Austriae, a Solimanno II. oppugnata: et Luckius memorabilem dat alium, a Venetis in insulae Cypri*

(d) At pulchra sunt difficilia! laudem tulisset multorum Auctor, si difficultates has superare studuisset.

(e) nos dabimus antiquiorem.

*pri primaria vrbe, Nicosia, a Selimo II. a. 1570. obsessa, cusum* (*f*).

*Quae* (*g*) *Respublica Belgica cum Hispanis gessit, magnum numerum eiusmodi numorum praebent bella. Habemus enim, qui a. 1573. Middelburgi, in Seelandia, Harlemi et Alcmariae cusi sunt. Sola vrbs, Lugdunum, tres numos cudit a. 1574. obsessa, quorum singuli diuersum habent typum in aduersa*



(*f*) Exstat ille p. 234. et est rotundus. A. Leo Venetus libro aperto pedibus prioribus insistens: infra 1570. PRO. REGNI. CYPRI. PRAESIDIO. B. Paruulus angelus. VENETOR. FIDES. INVIOLABILIS. BISANT. F. F.

Numum hunc, metropoli Cypri, Nicosia, obsessa a copiis Turcarum, Venetiis a Venetis percussum esse credo, non vero ab ipsis ciuibus et incolis Nicosiae. Primum Kalend. Iul. Cyprum naues Turcicae appulerunt, et Nicosia d. 3 Augusti occupata fuit. Habes sat breue spatium obsidionis. Deinde verba Luckii idem indicare videntur; *Nummus Castrensis Venetorum: cusus obsessa Nicosia.* et: *Veneti percusso in obsidione nummo Turcis perfidiam et fracti foederis infamiam exprobrant.* Denique ipse typus numi non conuenire videtur obsessae vrbis miseriae.

(*g*) hic index satis est negligenter contextus.

*uersa parte. Proximo anno Schonbouium tales protulit. Sed memorabilior reliquis est ille, quem Campenses a. 1578. obsessi cuderunt. Est is ab vtraque parte signatus, notatusque armis, et subtus nomine vrbis, numero anni et valoris. Supra legitur: EXTREMVM SVBSIDIVM: quae verba proxime accedunt ad illud verbum, quo Germani hos numos appellant. Appellantur plerumque:* Numi Necessitatis (*h*).

*Qui Traiecti ad Mosam cusi sunt a. 1579. non minus memorabiles sunt. Sed ordine chronologico omnes ex eo tempore cusos numos recensere, labor foret ob repetitionem vnius eiusdemque rei parum iucundus* (*i*).

*Progredimur ad quaestionem: an hi numi, vt auctoritatem habeant, signandi sint effigie aut armis principis, cuius sub imperio vrbs obsessa est? an eorum signorum loco imprimere liceat arma vrbis, aut ducis, qui eam defendit? an denique ipse hic dux sua effigie illos numos signare possit?*

*Videtur vero haec quaestio ideo difficilior, quia nulla est, quae huc pertineat, lex, neque aut*

(*h*) *Pieces de Necessité.*

(*i*) nempe delicato homini, non vero historiae et rei numariae studioso.

aut consensus adsit populorum, aut communis consuetudo, quae vim legis habere possit. Verum has ipsas ob causas vere nobis dicere videmur: improprie his numis monetae nomen imponi.

Aliquamdiu quidem monetae locum tenent: sed, si recte iudicare velimus, non aliter considerari debent, ac symbola quaedam et publica pignora fidei et promissorum, quae praefectus, aut magistratus difficillimo obsidionis tempore contraxit. Inde non multum interesse videtur, quocunque modo signati fuerint, si modo illud, quod propositum est, eorum ope obtineatur.

Fateri tamen debemus, melius esse, si nomen principis hi numi praeferant: vt ii, qui obsessa bis Aria cusi fuerunt, vnus ab Hispanico, alter, a Gallico praefecto. In illo legitur: PHIL. IIII. REX PATER PATRIAE ARIA OBS. 1641. In hoc: LVD. XIII. REX PIVS IVSTVS INVICTVS ARIA VNO Ao. BIS OBSESS. 1641.

Nullus inuenitur obsidionalium numorum, qui militis effigiem habeat, praeter Tornacensem. Militem ideo diximus: quia non desunt exempla principum, qui ipsi vrbes

*suas defenderint, suoque iure vsi sint.* Poterit tamen miles se eo defendere, quod nulla adsit contraria lex: poteritque ad sui defensionem consensum magistratus, spem et fidem, quam populus et milites in se positam habuerint, et desiderium a natura insitum sibi gloriam acquirendi, sine laesione domini allegare.*

*Denique minime sunt hi numi obsidionales cum iis confundendi, qui ad memoriam obsidionis aut expugnationis vrbis cuiusdam seruandam, posteritatique tradendam cusi sunt.*

I. (*a*)

Non obseruati a me sunt aut visi vnquam antiquiores numi obsidionales illis, qui in obsidione Tornaci (*Dornick. Tournay.*) cusi fuerunt. Haec vrbs a. 1521. ab exercitu Caesareo, Duce Comite Nassouiensi, oppugnabatur, capiebaturque ab illo d. XVI. Nouembr. Gallis se dedentibus, qui per quatuor menses illius

(*a*) A Luckio quidem p. 33. datur *numus*, vt inquit, *Castrensis Caesarianorum Veronae a Venetis obsessorum* a. 1516. sed videtur potius memorialis, quam obsidionalis. nam huic elegantia illa typi non conuenit.

illius armis restiterant. Numi sunt triplicis generis.

I. A. Arma vrbis: id est, castellum argenteum in area rubra: cui superimpositum lilium: ab vtroque latere littera coronata F. infra 1521. B. crux liliis ornata.

II. A. Plane similis, nisi quod numerus anni et littera deest. B. eadem facies, quae prioris.

III. A. Castellum, et ab vtroque latere lilium coronatum: in margine: DIV NOVS DOIN PAIS. B. eadem crux: ET EN LA FIN SA GRASE (*b*).

## II.

Alter obsidionalium numorum est ille, qui Papia obsessa signatus fuit. Nam in bello illo, quod Galliae rex Franciscus I. cum Imperatore Carolo V. gerebat, Papia a. 1524. d. VII. Octobr. a Gallo magno militum numero obsidebatur. Vrbem cum tercentis equitibus Hispanis et peditibus non paucis, plerisque Germanis, defendit fortissime dux

 Caesa-

(*b*) vid. Frans Mieris *Histori der Nederlandsche Vorsten* P. II. p. 136.

Caesareus Antonius Leua, donec, praeclara victoria relata, vrbs liberaretur. De hac obsidione accurate exposuit Hadrianus Barlandus, cuius verbis ea, quae ad numum hunc obsidionalem pertinent, narrare iuuat (*c*). „*Secundum haec*, inquit, *milites Germani* „*cateruatim ad ducem concurrentes stipen-* „*dia sibi debita exigere, vnde se vestiant,* „*vnde ventri quoque satisfaciant. Dux An-* „*tonius, audita militum querela, cum nihil* „*superesset numorum, animo vehementer* „*anxius diuersa secum et cum suis consilia* „*agitare coepit. Decretum est tandem, vt* „*mercatores pannarii militem vestirent, ob-* „*sidione soluta a Caesareo Quaestore pecu-* „*niam accepturi, numos exteri mutuo da-* „*rent. Verum hinc modica coacta summa* „*est: rari enim ciues, rarus erat in vrbe* „*mercator. Praefecti igitur oppidi et ma-* „*gnam salis quantitatem, et, quod mutuum ab* „*Alexandrinis quibusdam negotiatoribus, qui* „*eo venerant, accepissent, frumentum publi-* „*ce vendiderunt. Sed vbi nec his quidem* „*modis tantum contrahi potuit signatae pe-* „*cuniae, vt militi solueretur: nobilis dux* „*Antonius sua argentea vasa omnia conflari,* „*et*

(*c*) in Simon. Schardii *Scriptor. Rer. German.* T. II. p. 608.

*et in numos conuerti iussit, vnde stipen-„ dium est militi subministratum. O virum„ cantari dignum! Hic argenteam supellecti-„ lem, vt bellum gereret, ciues defenderet, con-„ flauit. Alii, vt ciues suos expilent, vt„ aurea et argentea vasa comparent, bella„ gerunt. — Iterum stipendia efflagitare„ Germani, quibus et strenuis et in eo rerum„ statu necessariis militibus vt per omnia„ satisfieret, Antonius a Canonicis templi ma-„ ioris multum accepit; fasces, insignia, vel„ argenteos, vt puto, baculos, qui Ticinen-„ sis scholae rectori ad comitia vel eunti alio„ praeferri consueuerant, etiam mutui no-„ mine acceptos in numum conflat; a singu-„ lis quoque ciuibus aliqua pecuniae portio„ data est. — Iamque tertium stipendia pe-„ tentibus Germanis, decretum est, vt cupe-„ diarii, lanii, pharmacopolae, caeterique„ ciues, qui opificio manuario quaestum fa-„ cerent, aliquam darent aeris portionem.„ Antonius ipse, vt nusquam non esset sui„ similis, quod gestabat, aureum monile con-„ flauit: Hispani armorum duces quidam„ opulentiores mutuum dederunt. Hac pe-„ cunia placatus miles, ducibus suis per„ omnia paruit.„* Haec Barlandus, quae ad historiam numorum apprime faciunt.

Illi

Illi igitur numi argentei in circulo ex punctis composito exhibent: 1524. C E S. P P. O B.

Qui vero ex torque Leuae aureo cusi, habent: + A. L. 1524. Vterque numus neque rotundus est, neque quadratus, sed inaequalis aut irregularis, vt minus Latine loquar, formae (*d*).

III.

Eiusdem formae et figurae numus 1526 C E S C R E. O B. (*e*)

Malatesta Baleoneus Perusiensis a copiis Francisci, Galli, Clementis VII. Pontificis, Venetorum et ducis Mediolanensis, Francisci II. Sfortiae, foedere contra Carolum, Imperatorem, coniunctorum, ad obsidendam Cremonam cum manu Italorum mittebatur. Qui vrbem defendit, Caesareus praefectus, Conradinus Glurinensis, maiore etiam hostium numero accedente, strenue res suas agit, donec, omnium rerum inopia coactus, quae etiam hunc numum cudere iussit, vrbem hosti tradidit.

IV. A.

(*d*) vide in Luckio p. 54. et 55. Frans van Mieris T. II. p. 200. 201. atque in Koehlero P. XI. p. 321.

(*e*) apud Luckium p. 59. van Mieris p. 240.

IV.

A. In ſerto biceps aquila. infra CAROLVS IMP. B. OBSESSO CANTAZARIO 1528. (*f*)

Ad quam vrbem hic numus pertineat, inſcriptio docet. Illam Simon Romanus obſedit, eaque occupata, putauit ſe Calabriam facile omnem in Gallorum poteſtatem redacturum eſſe. Sed Comes de Burella, qui cum manu militum e Sicilia aduenerat, vrbem obſidione liberauit, quam pro Imperatore fortiter praefectus defenderat.

V.

I. A. Caput regis Ferdinandi: ad latera 1529. B. Cruce diuiſi quatuor clypei cum armis Auſtriacis, Caſtilionenſibus, Vngaricis, Bohemicis.

II. A. Idem caput inter numeros 1529. Infra ſcriptum: TVRCK BLEGERT WIEN. 1529. ſupra et infra trifolium impreſſum. (in quodam infra ſtella) B. auerſa eſt eadem, quae in praecedenti.

III. A.

(*f*) Mieris T. II. p. 287.

III. A. Ad quatuor angulos folium. inscriptio est eadem. B. auersa est eadem.

IV. A. Austriaca arma, sub pileo Archiducali, ab vtroque latere folium. B. TVRCK BLEGERT WIEN 1529. (*g*) Numi sunt quadrati, aurei, argenteique. Plumbeum talem se habuisse, testatur Budelius.

V. A. Eadem inscriptio: B. DEN XXIII. SEPTEMBRIS ANNO 1529. (*h*)

Viennam Austriae Solymannus obsidere coepit mense Sept. et cum cuniculis agendis, tum manu conferenda illam capere tentauit. Sed, repulsis semper fortiter hostibus, nihilque omittente Philippo Palatino, cum caeteris praeclaris militibus, quod ad vrbem defendendam pertineret, obsidionem d. XVI. Octobr. tyrannus soluere coactus fuit. Non praetereundum est, Luckium hos numos appellare *Castrenses*, *cusos Vienna Austriae a Solymanno Turcarum obsidione cincta soluta:* sed Budelius dicit, fabricatos eos esse, *tempore*

*pore*

(*g*) vid. Luckium p. 69. Budelium *de monet. et re numaria.* L. I. p. 6. Lochnerum in *Samml. merckw. Medaill.* P. I. p. 193. Mieris P. II. p. 307.

(*h*) Cimeliarch. Num. Duc. Wurtemberg. p. 93.

*pore atrocissimae obsidionis:* quod mihi etiam ob metalli vilitatem verisimile videtur.

VI.

I. A. Arma Saxonica. Supra MORI. HER. Z. S. B. Insigne vrbis Lipsiae. HER HANS FRID. BELEGERT LEIPZIG. MENSE IAN. AN. MDXLVII.

II. A. Arma Saxonica. Supra M. H. Z. S. B. eadem inscriptio.

III. Arma Saxonica. M H Z S. ad latera 1547. infra in paruo circulo littera L.

IV. Idem numus, nisi quod littera L deest. Hi sunt quadrati et rhombiformes.

V. Magnus rotundus numus. in medio idem typus, qui in auersa primi numi. circum incusi sunt octies typi praecedentium numorum (*i*).

Luckius inter Castrenses retulit numum quartum. Sed pertinent hi omnes ad obsidionem Lipsiae a Mauricio praesidio munitae, ab Electore frustra d. XIII. Ianuar. coeptam, et sub mensis exitum solutam. res nota satis est, nec indiget enarratione.

VII. A.

(*i*) van Mieris T. III. p. 165. Luck. p. 115.

VII.

A. Inſignia vrbis Magdeburgi: virgo cum ſerto in dextra ſublata, in muro inter duas turres ſupra portam apertam. B. I 5. BELAGERVNG MAGDBVRG. 5 I. In aliis ab vna parte ſignatis tantum littera M inter anni numerum cernitur, et ab vtraque parte turris eſt ſtella. Sunt rotundi et quadrati, argentei et cuprei. rotundi arma vrbis in clypeo habent (*k*).

Maximus omnium habet inſigne vrbis: ſupra MAGDE: infra 1551. in altera parte haec leguntur: ANNO DOMINI 1550 IN DEM MONT OCTOBER ISTH DIE ALTE STHAT MAGDEBVRGK BELAGERTH WORDEN. Magdeburgum Caroli V. iram variis modis prouocauerat, cum, quod ad foedus Smalcaldicum ſe contulerat, tum quia Capitulum ad religionem mutandam cogere voluerat, libellum vero *Interim* reiecerat. Hinc vrbem proſcriptam primum Georgius, Megapolitanus, mox acriori obſidione Mauritius incluſit.

(*k*) vid. Luckium p. 141. Mieris P. III. p. 265. Koehler. P. XVII. p. 249. 241.

inclusit. Ciues omne argentum ad curiam conferebant, vnde hi numi cusi sunt.

Exstat et aureus, exhibens Mauricium, tutelarem genium Capituli, armatum, in dextra clypeum humi positum, in sinistra vexillum cum cruce tenentem: ab vtraque parte S. M. Auersa pars eadem, nisi quod alius typus adhibitus sit.

Putat Koehlerus hos numos cudisse capitulum Magdeburgense. Nam, praeter tres, omnes Capitulares vrbe effugisse, et impensas tamen in puluerem pyrium, in globos et tormenta erogandas ferre debuisse.

## VIII.

Inter annum 1567. apparet crux Burgundica, flammis insistens, ordinisque aurei velleris insigni, chalybe scilicet quodam, a catena huius ordinis equestris depromto, circumdata. Est numus plumbeus octogonus (*l*).

Pertinet hic ad Valentianas, seu Valencenas, vrbem Hannoniae (*Valenciennes*), quae, cum

(*l*) v. Loon P. I. p. 94.

cum Hispanicum praesidium recipere nollet, iussu gubernatricis Belgii obsidebatur, seque Hispanis multa patrantibus crudeliter d. 24. Mart. dedebat. Loonius hunc primum esse dicit similium numorum, quos bellum Belgicum produxit.

## IX.

Scutum, cuius dextra pars gladios Archimarschalli, sinistra Saxonicum insigne habet. supra H. H. F. G. K. ad latus vtrumque scuti 1567.

Decem dat Schlegelius. alter ab altero diversus in quibusdam. nam quidam sub scuto habent G: alii in auersa parte *III.* gl: (*m*) sunt quadrati: in his et aureus vnus. Cusi sunt, cum Elector Augustus, ob receptos a Iohanne Friderico II. ex Imperio proscriptos, Grumbachium, illiusque sodales, Gotham obsideret. Schlegelius non admodum magnum eorum numerum cusum fuisse dicit ob summam argenti inopiam. Illas litteras male quidam explicant, *Grumbachischer*, siue *Gothaischer*, siue *Grimensteinischer Krieg*. Sunt potius litterae ita explicandae:

(*m*) v. Luckium, p. 225. Schlegelii dissert. *de numis antiquis Gothanis etc.* T. II. et III. p. 127. Koehler. in P. XII. p. 161.

capsulae: *Hertzog Hans Friedrich Gebohrner Kuhrfürst.* Nam ipse Augustus queritur, dignitatem Electoralem a natalibus Fridericum sibi arrogare, qua tamen, ex pacto Numburgi a. 1554. facto, vti non debebat.

X.

Numus quadratus in circulo sub cruce in tribus lineis exhibet: D. R. P. F. MIDD. 1.5.7.2. extra circulum ad dextram Seelandiae, ad sinistram Middelburgi arma. Sunt quatuor diuersa magnitudine: hac sola differentia, vt duo superius circulo addita habeant Seelandiae arma.

Alii in corona seu serto habent: D. R. P. F. MIDDELB. 1573. et sunt maiores minoresque.

In aliis nil nisi MD.

In quibusdam: DEO REGI PATRIAE FIDEL MIDDELB. 1573. id quod etiam litterae in superioribus numis indicant. supra Seelandiae, ad vtrumque latus vrbis arma. hic numus est chartaceus.

In alio aduersa pars praecedenti similis, nisi quod superiora arma desunt, in auersa legitur:

legitur: *Doen ic was gheseghen, was Middelburc beleghen, zo dat het volc at van Honghers weghen, Peerden, Honden, Ruyen deur noot, Catten, Ratten, Ende Lisaenwaefelen voor Broot.*

Sunt eiusmodi numorum alii aurei, alii argentei, alii plumbei, immo etiam chartacei (*n*): iidemque quadrati.

Middelburgum, quod Hispani tenebant, a. 1572. mense Maio, Seelandi, qui magno animo contra istos arma sumserant, obsederunt, duce vsi centurione Trelonio. Obsessis cum opem ferrent Hispani, destitere quidem, sed cinxere tamen milite, ita, vt neque exire quisquam, neque adire posset, neque tamen prohibuere, quominus cum armis et victu milites Hispani Middelburgum venirent, duce Mandragonio. Hic, fame licet summa vrbem premente, atque vasis e templis et domibus ad stipendia soluenda collectis, fortissime vrbem defendit. Sed nulla auxilii spe relicta, et classe Hispanorum superata d. XIX. Febr. a. 1574. se dedere coactus est.

XI. Nu-

(*n*) dant eos Luckius p. 249. Bizot p. 23. et Loon. P. I. p. 156. 169. adde Koehler. P. IV. p. 257.

XI.

Numus octogonus, in medio habet arma vrbis Harlemensis, id est, gladium erectum, ab vtroque latere duabus stellis et supra cruce ornatum. Infra incusus est annus 1572, supra clypeus cum tribus stellis; ad dextram in circulo leo Hollandicus. Sunt etiam alii, hac differentia: in nonnullis abest leo: in aliis ad sinistram partem.

In quibusdam pro clypeo cum stellis est orbis cum cruce: alii habent cranium: alii stellam insistentem lunae: aliique hunc, alii sequentem annum. Sunt etiam rotundi, qui in medio tantum insignia Harlemensia, et subtus notam anni habent: in aliis rotundis haec deest.

Alii rotundi ab vtraque parte signati: adversam habent similem illis: in auersa habent in corona epigraphen: VINCIT VIM VIRTVS.

In quadrato est: HAARLEM VAN DEN TIRAN ALBA BELEGERT HEEFT DOOR NOOT DIT GELD GESLAGEN.

In alio: VRBS HAARLEM ALBANI CASTRIS OBSESSA TIRANNI

 STRE-

STRENVA MILITIBVS CAVSA NECESSA DEDIT.

Filius ducis Albani, Fridericus, ſimile patri monſtrum, d. 11 Decembr. a. 1572. Harlemum obſidere coepit: praeclare ſe defendentibus ciuibus, qui non contra hoſtes, ſed contra carnifices ſe pugnare videbant: ipſis foeminis opem ferentibus maritis: omnibusque vaſa ſua ad hos numos cudendos conferentibus. Tandem vero d. 13. Iun. fame ſaeuiſſima coacti ſe Hiſpanis dedebant, quorum crudelitatem omnis aetas deteſtabitur.

XII.

Numus quadratus habet turrim: ſupra A. ab vtraque parte 1573. B. In circulo littera A. ſupra VI. infra 1573.

In alio numo rotundo apparet ſigillum vrbis, quo, alio typo deſtituti, vſi ſunt. Eſt turris cum inſcriptione: SIGILLVM DE ALCMAR.

In aliis eſt turris, cum nota 73.

In aliis ſcutum corona tectum, in quo turris, additis notis I. S. (*o*) vterque eſt rotundus: omnes ſtannei.

Idem

(*o*) dant Luckius p. 251. Bizot. p. 19. Loon T. I. p. 165.

Idem Fridericus, quem natura lanium creasse, fortuna ducem fecisse videtur, post Harlemensem expugnationem Alcmariam obsedit, cui Iac. Cabillauius praeerat, d. 22 August. Sed frustra. Nam multis amissis iterum d. 10 Oct. obsidionem soluere cogebatur.

## XIII.

A. Leo sub corona pileum in hasta, prope quam leo Belgicus minori typo incussus, ferens: ab vtraque parte 1574. HAEC LIBERTATIS ERGO. B. In exteriore ambitu: GOTT BEHOEDE LEYDEN. in interiore: N. O. V. L. S. G. I. P. A. C. (*numus obsessae vrbis Lugdunensis sub gubernatione illustrissimi Principis Auriaci cusus*) scutum cum duplici claui.

In aliis aduersa eandem habet figuram, nisi quod hastae additus clypeus cum duplici claui, et in auersa tantum in corona legatur: GOTT BEHOEDE LEYDEN. 28 ST.

A. In alio leo gladium dextra praeferens, et sinistra clypeum cum duabus clauibus decussatis: PVGNO PRO PATRIA.

TRIA. 1574. In quibusdam inter pedes posteriores alius leo paruulus impressus est. B. In corona laurea: LVGDVNVM BATAVORVM.

A. Alius aduersam similem habet. B. NVMMVS OBSES. VRB. LVGDVN. SVB. GVB. ILL. PRIN. AVRA. CVS.

A. In alio leo sub corona sine armis inter numerum 74. HEERE ONT BERMT HOL. B. scutum Lugdunense: ENDE SALICHT LEYDEN. Sunt hi numi et cuprei et coriacei et chartacei (*p*), alii rotundi, alii quadrati.

Hos celeberrimos numos protulit obsidio Lugdunensis, a Ludouico Requesenio cum Francisco Baldesio coepta, sed d. 21. Mart. soluta, mox d. 26. Maii iterata, vrbem defendente Iano Dusa, atque aufugientibus Hispanis

(*p*) dant hos numos, alius plures, alius pauciores, Meursius in *Athen. Batau.* L. I. p. 53. Museum Wormianum. p. 361. Luckius p. 252. Budelius l. c. p. 8. Patinus in *Histor. Numism.* c. VI. p. 40. Bizot dans *l'histoire Metallique.* p. 25. Loon T. I. p. 186. et 179. Museum Pembrochianum in Indice Nummor. Anglic. et Scotic. t. 40. Kundmannus p. 454.

Hispanis d. 3 Octobr. 1574. iterum soluta. Quam fortiter Lugdunenses hosti restiterint, tanta simul fame pressi, vt multi coriis, radicibus et foliis arborum vescerentur, longum foret hic enarrare.

## XIV.

Eodem tempore memorabilem alium vidit Lugdunum numum. Nam, cum plurimi operarii neque laborare possent, neque, vnde viuerent, haberent, nutriebantur in hospitiis pauperum. Iam licet his aedibus cupreos numos, vrgente necessitate, cudere, et pauperibus dare. Hoc igitur tum quoque fiebat. Pauperes hos numos accepere, et dedere laniis, pistoribus, et eiusmodi hominibus: qui sub finem hebdomadis ad hospitiorum praefectum eos ferebant, et permutabant ea, quae in vsu erat, pecunia. Numus, quem damus, est ab hospitio, S. Catharinae dicato, cusus.

A. Rota coronata et sex falcibus obsita in orbe. B. arma Lugdunensia. supra 1573. GEDENCT' DEN ARMEN.

## XV.

Numus rotundus. in medio insigne vrbis, seu leo prospiciens castello, ad dextram

tram 1575. ad finistram 20 (in aliis 40) et supra infraque GODT MET ONS (*q*).

Pertinet numus ad obsidionem Aquarum Antiquarum, vulgo *Oudewater*, quam vrbem eo anno Hispani ceperunt, captamque crudeliter vexauerunt.

## XVI.

Numus quadratus, in circulo s. supra modo I. modo II. III. IIII. VI. XII. infra 1575. (*r*).

Hispani vrbem Schoonhouen d. 12 Aug. duce Hierghesо obsedere. Licet etiam praefectus bene rem gereret, tamen, cum et Aurantius frustra illi succurrere tentasset, nec responderet militum et ciuium ardor, d. 24. honestis conditionibus vrbem hosti dedit.

## XVII.

Numi stannei quadrati, maiores minoresque. Illi insigne habent vrbis cum verbis: PRO ARIS ET FOCIS. in maximo supra addita nota 75. Minorum alii insigne tantum vrbis: alii verbum:

(*q*) Loon T. I. p. 204.
(*r*) vid. Luckium p. 251. Loon T. I. p. 206. Bizot. p. 28.

bum: WOERDEN exhibent; alii habent subtus leonem peculiari typo impressum. pro diuerso pretio diuersae notae insunt, ad latera armorum incusae, vt II. S. IIII. S. 10. 40. 20. etc. (*s*)

Obsidione vrbem Woerden, cui Rudolphus de Stakenbroek praeerat, d. 8. Sept. a. 1575. comes de Megen frustra incluserat per L. hebdomadas.

XVIII.

Bis obsidionales cudit vrbs Ciriczaea, (*Cirics(ee)*) oppugnata a Mondragonio et defensa ab Arnaldo van Dorp:

I. Arma vrbis. infra 1575. supra Seelandiae arma.

II. Idem, nisi quod etiam supra arma vrbis minori typo incusa. hi sunt quadrati.

III. Rotundus cum armis vrbis.

IV. Rotundus: in quo leo erectus, supra 75.

V. Si-

(*s*) v. Kundmanni *Nummos Singul.* p. 47. et Loon P. I, p. 207.

V. Simili forma. in medio F. inter numerum 76. ad sinistram arma Seelandiae.

VI. Quadrati duo, similesque I. et II. nisi quod annum habent 1576.

VII. Rotundus. cum armis vrbis et infra 1576. omnes sunt stannei. (*t*).

XIX.

I. A. Numus quadratus. in medio arma Bredae. quibus extra circulum impositum insigne Auriacum. IN DER NOOT. B. A. 1577.

II. Similis illi. sed supra lilium: dextra Auriacum, sinistra vrbis insigne: in medio: BREDAE. in ambitu: NECESSITATIS ERGO. 1577. infra 2.

III. A. Plumbeus rotundus, in medio insigne vrbis, et ad sinistram Auriacum. ad dextram turris. IN DER NOOT. B. A. 1577.

IV. Octogonus, similisque secundo. sed supra turris: ad sinistram lilium, ad dextram arma Auriaca. Infra: XX.

V. Ro-

(*t*) Loon P. I. p. 210. et 212.

V. Rotundus, plumbeus: in medio: BREDAE. supra, sed in circulo, arma Austriaca. NECESSITATIS ERGO. 1577. (u)

Breda ab Ordinibus obsessa, praesidiarii milites, cum stipendia non recte sibi solui indignarentur, Frondspergium et Kinseckum, catenis puteo allegatos, per totam noctem tenent, et de stipendii satisfactione cum Ordinibus pacti, vrbem cum praefecto tradunt. Cum obsideretur, hi cuprei et stannei numi cusi sunt.

XX.

A. Arma vrbis Gedani: duae argenteae cruces in area rubra, aperta corona regia coronatae: clypeum duo leones tenent. supra: 1577. in ambitu: MONETA. NOVA. CIVITATIS. GEDANENSIS. B. Christi effigies cum limbo: sinistra globum orbis tenet, dextra gestus facit, vt aiunt, benedicentis. DEFENDE NOS CHRISTE SALVATOR. (x).

Stephano

(u) v. Luckium p. 266. Loon. P. I. p. 233.
(x) v. Kundmann. p. 103. et Koehler. P. VI. p. 305.

Stephano Bathorio, principi Transylnaniae, et a. 1576. electo Polonorum Regi Gedanenses non prius fidem addicere volebant, quam iura sua bene firmata viderent. Inde et vrbs proscripta, et d. 13 Iun. a. 1577. a Rege obsessa: quanquam d. 6 Sept. obsidione iterum liberata fuit. Hi numi, senatus consulto facto, cusi sunt ex statuis sanctorum, vasisque templorum. Aureos etiam, praeter hos argenteos, rotundosque thaleros, cuderunt.

XXI.

I. A. Arma vrbis Amstelodami coronata, quae duo leones tenent. 1578. XL.
B. In corona ciuica: P. AR. ET FO.

II. Idem, nisi quod leones desunt, et prope coronam nota XX. atque ad latus armorum numerus anni; numus.

III. IV. Vna tantum parte signati. armis appositus annus. alteri X. S. alteri V. S. additum. sunt octogoni (y).

Cum Amstelodamum, vrbem Hispanorum a partibus stantem, foederati diu et angustissime inclusum tenerent, hi numi cusi sunt e statua S. Nicolai, vrbis patroni.

Lampa-

(y) Loon P. I. p. 249.

Lampades etiam, vasa et candelabra templi S. Mariae conflabant, et hinc quatuor alios numos procudebant. Habent illi arma vrbis coronata: peculiari typo impressam notam anni et infra pretii XL. seu XX. seu 10, seu V. in vno supra litterae P. G. conspiciuntur.

XXII.

Duo numi octogoni: maior et minor. In illo castellum cum tribus turribus. supra: EXTREMVM SVBSIDIVM. ad vtrumque latus 21 ST. Infra in duabus lineis: CAMPEN 1578. In minore idem castellum: illa verba ad marginem superiorem oblique impressa: reliqua eadem, praeter haec xd ST. Quibusdam addita est nota 38 ST. aliis 42 ST. (z).

Campen, vrbs bene munita, rebusque necessariis instructa, a Comite Rennenbergio oppugnata, et creberrimis tormentorum ictibus muris concussis, d. 20. Iul. a. 1578. honestis conditionibus praesidiariis militibus concessis, in ordinum Belgicorum potestatem redacta fuit.

XXIII.

(z) v. Luck. p. 267. Bizot p. 36. Loon P. I. p. 255.

XXXIII.

Numus quadratus. in medio aquila, insigne vrbis. in margine VRGEN NECESS. DAVEN 9 IVN. 78. (*a*)

Post Campensem expugnationem Rennenbergius Dauentriam d. 3 Aug. 1578. aggressus est, quae, cum pecunia egeret, ex omnibus vasis sacris hos numos cudit. Immo, cum argentum non sufficeret, nullaque vasa superessent, cuprei procudebantur, similes illis, nisi quod rotundi, et in auersa habent pretii notam: I. S. II. S. IIII. S. et pro Iunio 30 OC. 78.

XXIV.

I. A. Arma vrbis Traiecti ad Mosam: Stella in scuto, cui superimpositus gladius, qui haec verba quasi scindit: TRAIEC. AB. HIS. OBSES. PROIVS. CAVSAE DE FELONE. 1579. B. PROTEGE DNE POPVLV TVVM PROP. NOMI. TVI. GLORIAM, in exergo: XXIIII.

II. Minor eiusdem faciei, nisi quod adest numerus XII.

III. A.

(*a*) v. Loon P. I. p. 256.

III. A. Arma Traiecti: in scuto exornato galea imposita militari, cuius in cuspide parua stella. ad latus scuti: 1579. In circuitu: PROTE. D. POPV. TV. PROF. NO. TVI. GLOR. B. manus tenens gladium erectum: eadem inscriptio, quae in aduersa prioris numi. Subtus XVI. In alio XXXX. In quodam tantum: TRAIECT. AB HISPANIS OBSES. et infra VIII.

IV. A. Scutum cum armis: cui superimpositus ensis. PRO IVSTAE. CAVSAE. DEFENSIONE 1579. B. TRAIECTO. AB. HISPANIS. OBSESSO. infra I. in alio II. (*b*)

V. A. Gladius erectus inter verba: PRO IVS CAVSAE DEFEN. B. TRA AB. HISP. OBSES. in exergo scutum cum stella inter numerum 1579. Hi numi sunt cuprei, rotundi omnes.

Parmae dux, Alexander Farnesius, Traiectum ad Mosam inde a d. 12 Martii, per quatuor menses, oppugnauit, oppidanis alacriter et strenue se defendentibus. Ea expugnata,

(*b*) Luck. p. 275. Budelius de monetis p. 5. Bizot p. 40. Loon P. I. p. 263.

pugnata, caesi sunt omnes, qui armati in vrbe inuenti.

XXV.

Numus quadratus: habet insignia vrbis: supra 36 ST. in aliis 18 ST. in maioribus ad latus 1579. etiam 1580. scriptum: in aliis 79. et 80. in ambitu: PERFER ET OBDVRA. BRVXELLA (c).

Summae necessitatis tempore, cum milites stipendia flagitarent, summumque esset periculum, ne in manus Hispanorum veniret vrbs, hic numus e vasis sacris cusus est.

XXVI.

I. In medio scutum Gallicum coronatum, extra circulum supra CB, ad latera: 1581. infra arma Cameracensia: in circulo: FRANCISCO PROTECTORE.

II. Arma Cameracensia. CAMBRAY. supra 1581. extra circulum ab vtraque parte XP.

Sunt numi quadrati cuprei, cusi, cum dux Parmae Cameracum obsideret, vrbem summa

(c) Loon. P. I. p. 273.

summa famie vexatam, et liberatam aduentu Ducis Andegauensis.

XXVII.

I. Supra arma principis d'Espinoy, praefecti vrbis: in medio insignia vrbis; id est, turris: ad latus 1581. in circulo: TORNACO OBSESSO 5 OCT.

II. Similis fere illi: infra tamen XX S. atque VRGEN. OBSID. TORN. 1581.

III. Similis illi, nisi quod turris paullo alia: prope quam annus et in circulo TOURNAY OBSESSO. 5 OCT. (*d*).

Hos numos quadratos cusos legimus, apud Loonium, licet hic non, vt alias solet, accuratos satis dedit, cum dux Parmensis Tornacum d. 1 Oct. obsideret, absente cum optima militum parte praefecto, principe d'Espinoy: cuius partes fortiter agebat Dominus d'Estrelles; ipsa principis vxore pugnante. Sed d. 29. Nou. dedere se cogebatur, honestis conditionibus impetratis.

XXVIII.

I. Arma Flandriae. SPES NOSTRA DEVS. 1582. superius arma praefecti.

 II. Arma

(*d*) Ibid. p. 298.

II. Arma Flandriae, et supra insigne vrbis. IO S. DEVS SPES NRA. 1582. (e).

Sunt quadrati, cusique, cum Farnesius praeter opinionem Aldenardam prope Scaldim sitam, (*Oudenarde*) obsideret, quam Fridericus van der Borcht per quatuor menses bene defendit, tandem se dedere coactus.

XXIX.

I. Insignia Flandriae. supra 83. in ambitu: QVID NON COGIT NECESSITAS. superius extra circulum, XX S.

II. Pariter leo Flandricus. supra 83. NIL RESTAT RELIQVI. superius X S. (f).

Pertinent hi numi plumbei quadrati ad Iperam, (*Ypern*) et fame et inopia argenti valde afflictam, in obsidione. cuius tempore vrbis praesidio Marquettius praeerat, eamque aduersus Parmae ducem defendit.

XXX.

Numi aurei et argentei, quadrati. inscriptio est 84. D. O. M. BRVXELLA CONFIRMATA. 2 G. in aliis 1 G. in aliis 4 G. (g).

Summa

(e) Ibid. p. 313. (f) Ibid. p. 329.
(g) Ibid. p. 348.

Summa erat Bruxellae obsessae miseria: quae quibusdam reconciliationem cum Hispanis suadebat. Quo rumore milites seditionem excitant, sibique stipendia solui cupiunt. quibus vt satisfieret, hi numi cusi fuerunt.

## XXXI.

Numus quadratus. in paruo circulo insigne Archiepiscopatus Coloniensis: id est, crux nigra in area argentea; et tres leones, alter alteri superimpositus, in clypeolo: quae arma ducatus Sueuiae. Prope summitatem crucis est B. ad dextram, et 83. ad sinistram. extra circulum quater ad quatuor angulos impressa littera G. id est, *Gebhardus*: B. notat Bonnam (*b*). in quibusdam extra hunc circulum superius in circulo est G. et prope crucem inferius duae stellae.

Vt Helena Troiani, sic Agnes, quam relictis sacris suis Gebhardus, Elector Coloniensis, duxerat; Coloniensis belli caussa fuit. In eo vrbem Bonnam primum Salentinus, comes Isenburgicus, mox, qui Gebhardi in locum



(*b*) v. Luck. p. 290. Koehler P. I. p. 297. Loon p. 335.

locum electus, Ernestus, ducis Bauariae filius, Episcopus Leodiensis a. 1583. mense Octobr. obsedit, tuente illam Carolo, fratre Gebhardi. Pecunia cum deesset, ex vasis sacris hos numos procuderunt. quanquam neque hi suffecerunt ad soluendos milites, qui ideo indignati et admoniti ab Ernesto, a. 1584. vrbem tradiderunt.

XXXII.

Numus stanneus quadratus. in medio clypeus duplex: dextra pars habet erectum Palatinum leonem: sinistra iterum duplex, Coloniensem crucem et insigne Badense. Supra 86. et superius paruus clypeus cum nota 20. in aliis minoribus 10. infra in clypeo F. H. C. nomen praefecti (*i*).

Eodem bello hic numus cusus est. Nam amicus Gebhardi, Geldriae praefectus, comes Adolphus, astu a. 1585. vrbem Nouesium (*Neus*) cepit, et praesidium ibi reliquit. Sequenti anno precibus Electoris Ernesti commotus Alexander Farnesius vrbem cepit crudelissime. De numo addenda sunt verba Budelii, qui illo tempore vixit (*k*).

*Hinc*

(*i*) Ib. P. VII. p. 65.
(*k*) De monetis et re numaria L. I. p. 6.

*Hinc etiam exulceratissimo hoc nostro seculo admodum recenter, et priusquam egregia illa et antiquissima ciuitas Nouesiana per Hisp. Regium, nec non Reuerendiss. atque Illustriss. Archiepis. Colon. etc. militem obsideretur, Capitaneus* Henricus Klaut, *qui tunc temporis ciuitatem occupabat, vbi robur militare ei deesset, stanneam quadratae figurae monetam stampari curauit, quibus numeri certi inditi erant et impressi, ad designandum vnius cuiusque massulae stanneae valorem* etc.

## XXXIII.

A. In duplici circulo monogramma: littera D ni fallor bis iuncta. supra 1588. in margine + IAMETZ. B. duae turres, quarum in medio idem fere monogramma coronatum, supra 1588. infra IAMETZ V. (*l*)

Cusus est hic numus rotundus a Schelandraeo, arcis Dominorum Bullionaeorum, Iamais praefecto, cum a Carolo, Duce Lotharingiae, obsideretur: cuius filio natu maximo, Marchioni Pontano, mens. Iulio, a. 1589. se dedidit, honestis conditionibus.



(*l*) Luck. p. 32 ...

XXXIV.

I. Scutum coronatum cum liliis Gallicis. in ambitu: PROTECTORI HENRICO. infra ad dextram 9. ad vtrumque latus: XX P. infra in quibusdam additum scutum cum armis Baligniī.

II. Alius similis, nisi quod circulus minor et ad vtrumque scuti latus 95.

III. In circulo tria lilia. eadem inscriptio. extra circulum: V. P. (m)

Sunt octogoni et cuprei. Henrici IV. gratia, dominus vrbis Alanzonius Ioannem Monlucium, Dominum Balignium, Cameraco praefecerat. Hic cum multa impotenter et atrociter, magnis tributis impositis, fecerat, arx a Comite Fontano (Fuentes) cum Regis Hispaniae iussu, tum prouinciarum vicinarum querelis adducto, obsidebatur a. 1595. d. 8. Aug. Tum hos cupreos numos cudit, minatus omnibus mortem, qui illos repudiarent, pollicitusque, se, finito bello, eos auro redempturum esse. Sed milites ciuesque eo magis his numis irritati, portas aperuere oppugnatoribus, et Balignius etiam arcem, in quam confugerat, d. 9 Octobr. tradere cogebatur.

XXXV.

(m) Luck. p. 357. et Bizot p. 78. Loon p. 418.

XXXV.

I. A. Duo leones, altero priorum pedum gladium tenentes, altero insigne Bomeliae, cui leo et duae rosae insunt. MONE NOV. PACTA BOEME. S. T. K. P. (Stuuerorum triginta, quae tamen nota abest apud Loonium). B. Castellum cum tribus turribus, cuius in porta tormentum bellicum adspicitur. DVRAE NECESSITATIS OPVS. est quadratus.

II. Est etiam quadratus. A. arma vrbis. eadem, quae in illo, inscriptio. B. crux, cuius in medio gladius inter duas rosas inscriptus est, vt prior.

III. Dicitur etiam esse tertius, cuius in aduersa arma in scuto galea ornato, et eadem inscriptio: in auersa brachium nubibus exsertum cum gladio. BRACHIVM MEVM CONFORTABIT EOS (n).

Bomeliam, vrbem Geldriae, Mendoza a. 1599. obsedit, sed, eam praeclare defendente principe Mauricio, frustra. His nu-



(n) vid. Hamburg. *Histor. Remarques* P. VI. p. 201. et Loon P. I. p. 546.

mis argenteis, qui se necessitate productos fuisse ipsi fatentur, multum cupri admixtum est.

XXXVI.

Particula argentea inaequalis, quam patina excisam esse apparet, in medio habet circulum ovalem parvum, in quo corona, quae tegit litteram R. sub qua linea ducta 16 L. 10. ad dextram impressa est nota IIIII. prior littera Rudolphi Imperatoris, altera Archiducis Leopoldi nomen indicat. Alii nummi numeros alios habent, vt III. X. II. XXXX. alii habent hanc notam supra, alii ad latus, alii subtus.

Minimi horum nummorum habent in circulo V litteram: sub qua I. R. et infra 1610. supra apparet nota III. Illas litteras quidam ita explicant: *Viuat Imperator Rudolphus.* alii: *Iohann von Rauschenberg* (o).

In turbis, quae post mortem Ducis Iuliacensis, Ioannis Guilielmi, d. 25 Mart. 1609. ob successionem oriebantur, misit Imperator Rudol-

(o) Leon. P. III. p. 70. Koehler P. V. p. 169. add. P. VI. p. 43 et P. IX. p. 425.

Rudolphus Archiducem Leopoldum, Episcopum Passauiensem et Argentoratensem, qui auctoritate Caesarea sequestri nomine terras occuparet. Cum vero mox sub initium a. 1610. bellum inde oriretur, neque se hostibus resistere posse Leopoldus videret, ad auxilium impetrandum celeriter Pragam ad Imperatorem abiit, reliquitque Iuliaci praefectum Ioannem Rauschenberg. Hic ab numeroso exercitu obsessam vrbem per quinque hebdomadas bene defendit, sed tandem se dedere coactus fuit. Hos numos e relictis Leopoldi vasis argenteis cusos fuisse narrant.

XXXVII.

Numi variae formae rotundi, quadrati, octogoni et septogoni, in quibus impressum est F. connexum cum P. ad latus 1621. et epigraphe haec: IN GVLI BELEG. In minoribus vtramque litteram, numerum anni, et notam 45. aut 25. impresserunt: in maioribus hoc typo medium scutum, in quo forma prioris numi, septies quinquies et quater circumdederunt (p).

Spinola Iuliacum per Comitem Henricum de Bergensi obsedit, quam Fridericus Pythaan

(p) Loon T. II. p. 138.

rhum defendit: fame vero coactus, nec auxilio adiutus d. 2 Febr. a. 1622. dedidit.

XXXVIII.

Numus quadratus. in medio circulo sub triangulo, vrbis insigni: BATZ XV. in ambitu: FRANCKENTHALER NOTHM. 1623. (q)

Franckenthal, prope Wormatium, d. 19 Sept. a. 1621. a Ferdinando Cordubano, a Spinola ad hoc negotium relicto, obsidebatur: qui, Comite Mansfeldio aduentante, se recepit. Sed, eo abacto, copiae Bauaricae sub duce Tillio aduenerunt, et vrbem vndique e longinquo incluserunt. Eo tempore hi numi a ciuibus cusi sunt, qui, regem Angliae sua sub potestate vrbem retenturum esse, sperabant. Sed ille vrbem Hispanis cessit, mox a Caesareis occupatam, et iterum Hispanis traditam, quorum e manibus aegre tandem extorquebatur.

XXXIX.

Numi quadrati. In circulo Leo Belgicus. extra eum ad dextram arma Auriaca, ad sinistram arma vrbis. BREDA OB-SESSA

(q) Koehler P. X. p. 137.

SESSA 1625. supra 40, in aliis supra 60. subtus rosa.

Quidam plane similes, nisi quod pro leone arma Principis Mauritii habent: et ab vtraque parte insigne vrbis.

Alii habent in scuto arma vrbis: supra II. BREDA OBSESSA. ad latus 1625.

Alii sunt prioribus similes, praeterquam quod 20 praeferunt.

Alii minimi nihil habent quam I. 1625. arma vrbis: et prope scutulum I. S. Duo vltimi sunt cuprei (r).

Dux Spinola mense Augusto a. 1624. Bredam obsidere coepit, quam Iustinus Nassoviensis, filius naturalis Guilielmi I. Arausionensis defendebat, omnibus bene instructam, praeterquam victu. Ciues et magistratus argentum suum conferebant, eosdemque sequenti anno praefectus arcis iureiurando adigebat, vt vasa sua praeberent, vnde hi numi cusi sunt.

## XL.

A. Arma Magdeburgensia, virgo ante se rosam habet. MO NO MAGDEBVRGENSIS.

(r) Loon P. II. p. 156.

GENSIS. B. XII GROSCHEN MAGDEBVR STATGELT. 1629. In margine: NECESSITAS LEGEM NON HABET (*s*).

Hic numus, qui parum argenti, plurimum cupri habet, pertinet ad vrbem Magdeburgum, quae a. 1629. per hebdomadas XXVIII. frustra inclusa fuit a Caesareis, qui, licet alio modo adiuti ab vrbe, multa postulabant, quae illa se daturam esse negabat.

## XLI.

A. Scutum Gallicum coronatum, inter litteras F. XX. inscriptio est: INSTAR HORVM FLORESCAM. Subtus CASALE. B. Fortitudo mulieris specie columnae innixae, et Iustitia cum gladio et bilancibus. HIS DVCIBVS OMNIA DOMANTVR. 1630. Subtus. TOIRACE CLYPEO.

Praeter hunc cupreum numum alii etiam cusi sunt tres, sensim decrescente magnitudine illorum.

A. Similis illi. HORVM AVXILIO NON OPPRIMAR. B. Foemina sedens

(*s*) *Hamburgische Historisch. Remarqu.* T. VIII. p. 345.

dens in delineatis arcis munimentis, coronata, palmamque gerens dextra. TENTATA SED INCORRVPTA. Infra CASALE.

A. Idem scutum. VOS CANDIDI (flores) ME PVRAM (seruate) R. duplex imago: altera habet galeam conto infixam, inter sagittam et hastam: altera Sirenem. NEC VI NEC FRAVDE. CASALE. 1630.

A. Scutum. HIS FAVENTIBVS. 1630. R. duo palmae rami coronati in clypeolo. EXALTOR OPPRESSA BIS (t).

Cum post mortem Vincentii II. bellum ortum esset inter Imperatorem Ferdinandum II. et Ludouicum XIII. cum, hic duci Carolo I. Gonzagae, ille duci Guardistalli, Ferdinando, haereditatem ducatus Mantuani et Montferratensis deberi contenderent: Casalen d. 23. Maii. a. 1630. Spinola obsedit. Fortissimis omnis memoriae ducibus adnumerandus Mareschallus Toiras eam praeclarissime defendit: summa pecuniae inopia pressus vasa sua argentea conflari iussit, cum neque haec pecunia sufficeret, e tormentis bellicis,

(t) Kundmann. p. 58. Koehler. P. XXI. p. 409.

bellicis, quorum non erat amplius vsus, hos numos cudi iussit.

XLII.

Numus stanneus rotundus. A. Aquila biceps cum corona et clypeolo Borussico in pectore. FERD. II. ROM. IMPER. AVGVST. B. Arma vrbis. Gryphus erectus in trunco, duobus ramis conspicuo, stans inter numeros 1631. supra caput I. In margine: NECESSITAS GRIFESWALDENSIS (u). Quatuor huius generis numi cusi et numeris I. 2. 3. 4. notati sunt.

Caesareis e tota fere Pommerania a Gustauo Adolpho expulsis, Gripswaldia sola restabat, quam tenebat Franciscus Ludouicus Perusius, aut potius atrocissime vexabat. In obsidione hos numos cudit, et cum omne argentum ciuibus eripuisset, vasa quoque stannea conflauit, pollicitus, post liberationem eos numos argenteis mutaturum se esse. Sed et ipse, cum in oppugnatores irrueret, occidebatur, et vrbs se dedebat.

XLIII.

(u) in Museo Wormiano. p. 361. Koehler. P. IX. p. 393.

XLIII.

Numus quadratus. in circulo Petrus cum triplici corona, dextra tenens clauem, sinistra librum apertum, ante se amplum clypeum, cuius in prima et quarta area, quae argenteae, arma Osnabrucensia, siue rubra rota cum sex radiis, in secunda et tertia arma Comitum de Wartenberg apparent. ad latus 1633. (*x*)

Caesareis d. 28. Iun. a. 1633. prope Oldendorpium ad Visurgim a Suecis caesis, dux Kniphausenius Osnabrucum obsedit, et d. 2 Sept. cepit. Episcopus Franc. Guilielmus Comes de Wartenberg Bonnam quidem se contulerat, sed vasa sua ad milites soluendos conflari iusserat.

XLIV.

Numus quadratus. A. tres clypei cum armis Austriae, Alsatiae, et Brisaci: duo iuxta se positi habent supra annum 1633 et infra tertium clypeum, cuius ab altera parte nota [illegible]x: ab altera IIII. B. In quinque lineis: MO. NO. VAST. ALS ET. BRISIACAE INDEX.

Alii

(*x*) Ibid. P. X. p. 313.

Alii habent numerum XLVIII.

Quidam vnum tantum Brisacensem clypeum exhibent.

In aliis auersa pars nuda est (y).

Brisacum tenuere Caesarei milites: obsedere Sueci, mense August. a. 1633. Sub finem Septembris ex Italia dux Feria aduenit, se cum Caesareis copiis coniungit, et, vt Sueci d. XVI. Octobr. obsidione desistant, efficit. Numus e vasis argenteis recisus, et malleo cusus fuit.

XLV.

Particula argentea inaequalis. A. in circulo: MINDA OBSESSA. 1.6.3.4. B. In ambitu circuli ad dextram duae claues, quae arma Episcopatus Mindensis, decussatim positae. 8 GROSCHEN (z).

In bello illo, quod per triginta annos Germaniam afflixit, d. 24 Iul. a. 1634. vrbs Minda, in Vestphalia prope Visurgim sita, a Suecis obsidebatur. Cum Caesareo praesidio centurio Waldeckerus eam vsque ad mensem

(y) Koehler P. I. p. 289. add. p. 432.
(z) Ibid. P. VIII. p. 385. et Lochner P. IV. p. 185.

mensem Nouembr. tuebatur, quo se dedebat.

XLVI.

Particula octogona. PHIL. IIII. REX PATER PATRIAE ARIA OBS. 1641. in quibusdam additur II. in aliis I. (a)

Mareschallus de la Meillerage vrbem Ariam obsedit, quam Bernovitte defendit, cum militibus Hispanicis. Die 27 Iul. vrbs Gallis se dedere cogebatur, praesidiariis militibus honesto discessu concesso.

XLVII.

Numus quadratus, cum inscriptione: LVD. XIII. REX PIVS IVSTVS INVICTVS ARIA VNO A° BIS OBSESSA 1641. (b)

Pertinet numus ad eandem vrbem, quam a Francicis militibus occupatam esse, modo narrauimus. Praeerat illi Aigueberre: obsidebat vero Cardinalis Ferdinandus: et vrbem inedia oppressam d. 7 Decembr. cepit.



(a) Loon P. II. p. 253.
(b) vid. Loon. P. II. p. 254.

XLVIII.

Numus quadratus. A. corona Anglica, cui additae litterae C R et infra XII. B. OBS. NEWARK 1646. (*c*) in aliis est alius numerus.

Arx et vrbs Newark sita est in Angliae Comitatu Nottinghamensi, quam Parlamenti Anglici impulsu a. 1645. pars Scotici exercitus mense Octobri obsedit. Defendit eam Bellasis per sex menses, suaque vasa ad stipendia soluenda praebuit. Quomodo vero rex Carolus, cuius nomen illis litteris indicatur, in castra Scotorum venerit, et arx dedita sit, notum est.

XLIX.

Numus quadratus. A. Corona regia, sub qua litterae C. R. ab vna parte coronae vsque ad alteram semicirculari forma has litteras ambiunt verba: DVM SPIRO SPERO. B. Arx cum tribus turribus, infra 1648. ad latus dextrum OBS. ad sinistrum PO. (id est, Obsidio Pontisfracti.) inter P et O est numerus XI. (*d*) Est

(*c*) Evelyn p. 124. Museum Pembroch. in Indic. t. II. et Koehler P. VIII. p. 177.

(*d*) Evelyn p. 124. et 125. Museum Pembroch. t. II. Koehler. P. I. p. 358. add. p. 438.

Est arx bene munita in ducatu Eboracensi, Pontefract, siue Pomfret, appellata: quam qui a partibus Caroli Stuarti I. stabant, mense Iunio a. 1648. occupauerant, multoque milite instruxerant.

Langdalii copiis fusis, et Hamiltonio capto, nec quidquam amicis regis praeter illam tenentibus, omnem Cromwellius operam dedit, vt eam reciperet. Arci praeerat Morisius, vir fortissimus, qui eam vsque ad d. VI. April. a. 1649. defendit.

Aliorum numorum mentionem facit Evelyn, qui eo tempore cusi. vnus prope sinistram arcis partem gladium exhibet: alius octogonus in vna parte coronam habet cum inscriptione: HANC DEVS DEDIT. 1648. et in margine CAROL. II. D. G. MAG. B. F. ET H. REX. in altera parte idem castellum, cuius in media turri vexillum cum litteris: OBS. P. O. in margine: POST MORTEM PATRIS PRO FILIO.

## L.

Thalerus quadratus in medio arma habet vrbis Monasterii, siue baltheum rubrum

in aurea area. MONAST. WESTPH. OBSESSVM. 1660. (e)

Sunt et rotundi cuprei. Vix electo a. 1650. Episcopo Monasteriensi Bernhardo Christophoro de Galen, turbae oriebantur, inprimis Decani Bernhardi de Mallincrot studio excitatae. Inde et vrbem, quae praesidiarios Episcopales accipere nolebat, a. 1657. obsedit Episcopus: atque, licet hae dissensiones sedarentur, post tres tamen annos a. 1660. iterum obsidione cingebatur, et, frustra e Belgio auxilio exspectato, se dedere cogebatur.

LI.

Numi quadrati. in medio aquila coronata. infra peculiari typo impressum: Ao. 1672.

Maximus horum in aduersa et auersa typum habet. Illa reliquis similis: in hac duo versus leguntur: *Door Vyands Maght en Paaps Geweldt Verkeert ons' Glans in vierkandt Geldt* (f).

In illo bello, quod Episcopus Monasteriensis Belgis inferebat, vrbibus quibusdam iam

(e) Loon. P. II. p. 467. *Hamburg. Hist. Remarqu.* P. VI. p. 329.

(f) Loon P. III. p. 58.

iam captis, Dauentrienses, vt occurrerent hosti, omnia parabant. Inde etiam hos numos cuderunt ex argenteis vasis. Vrbe vero discordia dedita, non his numis vsi sunt, sed, quantum eorum esset, inter ciues distribuerunt.

LII.

Quadratus numus. Scutum cum armis Groningensibus quadruplicatum et corona tectum: ad latera 50 ST. in margine: IVRE ET TEMPORE. 1672.

In quibusdam est nota: 25 ST. in aliis $6\frac{1}{4}$ ST. in aliis $12\frac{1}{2}$ ST. (g)

Per dies XXXVIII. coniuncti cum Gallis Elector Coloniae et Episcopus Monasteriensis hanc vrbem obsederunt, quam Carolus Rabenhaupt defendit. Obsidio circiter coepit d. 17 Iul. sed frustra, multis oppugnatorum occisis, magnoque ignitorum globorum numero in vrbem iniecto, ipsis litterarum studiosis iuuenibus arma gerentibus, defendentibusque vrbem. die 26 Aug. iterum abierunt hostes.

LIII.

Thalerus rotundus. A. Arma vrbis i. e. castellum cum tribus turribus. infra



(g) Loon P. III. p. 90. Koehler P. X. p. 177.

CAMPEN. B. NECESSITAS ALTERA. 16. 72. (*h*).

Idem ille Monasteriensis Episcopus, Bernardus de Galen, qui melius militis, quam sacerdotis munere fungi posse videbatur, d. 13. Iul. a. 1672. hanc vrbem cepit. Illam deinde occupabant Galli, et immensis tributis exactis, eo redigebant ciues, vt ex vasis argenteis hos numos cuderent. Conflauerant vero omnia vasa, praeter quatuor. Hic numus quanquam proprie non ad obsidionales pertinet, noluimus tamen eum a primo, qui eodem hoc capite supra adfuit, separatum proponere.

## LIV.

Numus quadratus. A. in circulo verbum CORK. B. turris cum quatuor pinnis, est cupreus (*i*).

Cork, vrbs Hiberniae et primaria Comitatus Corcauiensis, a. 1690. a Gallica classe, quae Iacobo II. opem et fortunam reddere debebat, praesidio muniebatur. Sed post victoriam Guilielmi a classe Anglicana d. 9 Octobr. capiebatur. Eiusmodi numos Iacobus

(*h*) Loon P. III. p. 59. Koehler P. X. p. 257.
(*i*) Koehler P. XV. p. 169.

bus complures cudi iussit, primum ex tormentis nullius amplius vsus, deinde e supellectile varia, signauitque nominibus vrbium, vbi cudebantur.

LV.

Particula inaequalis. In orbe scutum bipartitum Melacii, siue tres rubrae fasciae in argentea area, et vnguis niger leonis, seu vrsi, in aurea. Superne, in aliis etiam infra: 4 LIVRE. 4 S. LANDAV. 1702. Margini lilia impressa sunt, cum in honorem regis Galliae, tum, vt equidem puto, ne quisquam plus abscindere posset.

In quibusdam est I LIVR. I S. in aliis II LIVRE II S. (k)

Francicus dux, Melac, vt haberet, vnde stipendia solueret militibus, in vrbe Landauia obsessus, ex vasis suis argenteis varias particulas rescindi, et typo hoc notari curauit. Quanquam sunt, qui dicant, Melacium non



(k) *Hamburg. Histor. Remarquen.* P. IV. p. 313. Loon P. IV. p. 383. *Thesaurus Numism. Modernor. huius seculi* (Norinb. fol.) p. 200. et Lochneri *Sammlung merkw. Med.* P. V. p. 193. atque *Kundmanni Num. Sing.* p. 51

fidem coepit, quam Mareschallus Franciae, Boufflerius, cum magno praesidio tenuit, strenueque defendit, his etiam numis cusis ex tormentis bellicis, vt haberet, quo excitaret semper milites. Sed tandem vrbem d. 23 Octobr. arcem d. 9 Nov. dedere coactus est.

LVIII.

A. Littera I. corona tecta. 1708. B. IN NECESSITATE VARADIENSI. numus cupreus rotundus (o).

In bello contra legitimum principem a Ragozio excitato, rebellis Waradinum vt caperet, summa ope nitebatur. Cum vero non posset obsidione illam vrbem propiori includere, circumiacentes arces cepit, et fame illam ad deditionem cogere parauit. Qua re illud effecit, vt praefectus Caesareus, Stephanus de Becker, omnium rerum inopia premeretur, atque, vt tantum haberent, quo cibum et potum emerent milites, hos numos cuderet.

LXIX.

I. Numus quadratus cum capite laureato. M. DE SVRVILLE. supra 29. est argenteus.

II. Nu-

(o) vid. ap. Koehler, P. XXI. p. 305.

II. Nummus rotundus cupreus. A. ducis arma, seu forfices tres, qui ad oues tondendas adhibentur, cincta palmae ramulis et coronata. B. MONETA IN OBSIDIONE TORNACENSI CVSA.

III. Minimus rotundus cupreus nummus habet turrim. TORNACO OBSESSO supra 2. infra 1709. (*p*)

Opulentissimam Flandriae vrbem, Tornacum, ad fluuium Scaldim sitam, inde ab a. 1667. Galli tenebant. Hanc dux Marleburgius d. 27 Iun. a. 1709. obsidione cinxit, in societatem operis gloriaeque venientibus Schulenburgio, Lottumio et Fagelio. Qui vrbem strenue defendit, Hautecourt de Surville, suis aliorumque vasis argenteis conflatis inopiae argenti succurrebat. Sed cedere debebat vrbs d. 18 Iul. felicitati et fortitudini Eugenii.

LX.

Globus, cum fascia aurea, coronatus, ab vtroque latere 1710. (in aliis est infra) in margine: ARIA OBS. PRO. REGE. ET

(*p*) dantur in Thes. N. M. p. 928. Loon. P. V. p. 139.

ET PATRIA. In aliis inter priora duo verba 50: in aliis 25. (*q*) numi quadrati.

Aria obsessa fuit a Principe Anhaltino-Dessauiensi d. 4 Septembr. defensa a duce de Guebriant, qui etiam vasa sua dabat ad hos numos cudendos. Vrbs dedita fuit d. 8. Nouembr.

LXI.

Numi, si ita eos appellare fas est, quadrati, e cartulis lusoriis facti.

I. A. Impressus cera rubra Cupido cum laterna, vt dicunt, surda. SANS EÇLAT. B. quater numerus XXV. et in medio D'AFFRYM.

II. A. Annulo impressa arma praefecti. B. quater numerus IIIII. et in medio pariter D'AFFRYM (*r*).

Bochanium (Bouchain) vrbs Hannoniae, a. 1711. d. 12. August. Fagelius obsedit: et frustra Villarsio obnitente, d. 14. Septembr. cepit.

LXII.

(*q*) Kundmann. l. c. p. 63. Loon P. V. p. 176.

(*r*) Loon P. V. p. 187.

LXII.

A. Sunt particulae octuplices chartis lusoriis excisae: in oblata, seu hostia rubra, charta obtecta (*s*), impressa apparent arma praefecti arcis. B. Ipsius praefecti manu scriptum: *4 Sols Quesnoy. Gouvern. Ivoy.* (*t*)

Quercetum, siue, vt Gallice dicitur, *Quesnoy*, d. 18 Sept. a. 1712. Villarsius oppugnavit: defendit eam fortiter vrbem dux Ivoy vsque ad d. 4. Octobr.

LXIII.

Particula argentea octogona e vase aliquo excisa, in medio habet insigne Wirtenbergicum cum litteris C. A. H. Z. W. et numero 1713. scutum tegit pileus principalis et ornant duae aquilae, aliaque decora. Pone etiam, sed inferius I. C. W. (nomen artificis). In superiore parte legitur peculiari typo incisum: PRO CAES. ET IMP. in ima: BEL. LANDAU 2 FL. 8 X. quatuor versus angulos litterae C et A arte connexae et tectae principali pileo (*u*).

Pro

(*s*) *sur du pain à cacheter rouge couvert de papier.*
(*t*) Loon Ib. p. 220.
(*u*) dat Lochner in *Sammlung M. M.* T. V. p. 209. Loon P. V. p. 237.

Pro hoc in aliis principale insigne est versus marginem quater impressum, et habet in medio litteras nominis annexas. in aliis 1 FL. 4 X. ½ FL. 2 X. Sunt quoque aurei cum nota: 1 DOP.

Vrbs Landauia atrocissima fata paucorum annorum spatio experta est. Munitam eam optime a Vaubanio, sed eandem captam a. 1702. a Iosepho esse, paullo ante diximus. Neque tamen obliuisci poterant Galli hanc, quam iure magnam iudicabant, iacturam. Quare etiam Tallardus a. 1703. eam expugnauit. Gallis a. 1704. iterum a Iosepho eripiebatur. Sed anno 1713. redibant Galli, maximaque vi et numeroso exercitu illam mense Iunio oppugnare coeperunt. Quanquam etiam fortissimus dux Wurtenbergicus, Carolus Alexander, nihil, quod ad defendendam vrbem spectaret, omittebat, qui etiam hos numos cum nomine suo cudi iussit, tamen die 22 Augusti fatis cedere debebat.

LXIV.

In oppugnatione Wismariae, satis atroci, a. 1715. cudebatur aereus numus in vrbe, qui in summa parte insigne vrbis bipartitum,

titum, seu caput taurinum nigrum cum annulo in ore area in alba, et simili in area duas rubras trabes, in medio haec verba habet: 8 SCHILL. WISM.

Ad quatuor angulos conspicitur numerus 1715. (x) Sunt quidam, quibus nota 16, et minimi, quibus nota 3 impressa est.

LXV.

Numus octogonus stanneus. Arma Saxonica, tecta pileo principali, inter duo palmae ramos. Supra: BRAVHNAV, ad dextram: L. AVXILIVM F: ad sinistram. Z A NOBIS. S. Infra litterae I. M. S. F. et inter eas numerus apparet 15. quo pretium numi indicatur. Supra prope pileum numerus 1743. Illas litteras ita explicandas esse mihi dixit Vir cel. *Ioachimus*, cuius amicitiam amo, egregiamque eruditionem colo: *Ludwig Friedrich Hertzog zu Sachsen:* reliquas litteras forte ad monetarium pertinere coniicit.

Sunt etiam minores cum armis Saxonicis et numeris 1743. infra pretium numero 3 indicatur. Inscriptio est: BRAVNAV

DEN

(x) vide Kundmanni Num. Sing. p. 56.

I

DEN 9 MEI. In his numis, quos ego liberalitati et humanitati amabilissimi viri, ingenio, doctrina et scriptis illustris *Pfeffelii* debeo, scriptura parum venusta est. Dicuntur aurei quoque cusi esse, quos non vidi, iique nitidiorem typum praeferre.

Vrbs *Braunau* bene munita sub finem mensis Nouembris a. 1742 ab exercitu Austriaco, duce Principe Lotharingiae, Carolo, obsidione includebatur, et mox igneis globis iniectis grauiter adfligebatur. Praeerat vrbi comes Minuzzius, qui multa fortiter agebat et sapienter. Inde etiam mox Austriaci obsidionem soluerunt. Sed sequenti anno cedere debebat vrbs fatis. Nam, inter ducem Seckendorffium et Principem Lotharingiae, aut potius huius nomine, Comitem Khevenhullerum, in monasterio Schoenfelden conuentione facta, ea tradebatur d. 1. Iul.

Hos numos stanneos praefectus vrbis, princeps Hilpershusanus, Ludouicus Fridericus, cui vno ore summa laus fortitudinis strenuae tribuebatur, cudi iussit (y).

(y) vide *Neue Europaeische Fama*, P. 98. p. 134. et *Europaeischer Staats-Secretarius*. P. 85. P. 75.

ERRA-

## ERRATA.

p. 8. l. 23. l. *huc*. p. 12. l. 14. l. *potuisset*. p. 35. l. 18. l. *nostri*. p. 37. l. 5. l. *auersa*. in n. k. l. 3. l. *Starl*. p. 38. l. 21. l. XVIII. ib. l. 22. *cusae*. p. 42. l. 6. l. *experta*. p. 43. l. 1. l. *Rehtmeierus*. p. 45. l. 4. l. *qui*. p. 49. l. vlt. l. *Sueo-G*. p. 54. l. 13. l. *intra*. p. 62. l. 16. *In medio* etc. sunt haec separanda a superioribus. nam de alio numo sermo est. p. 66. l. 11. l. *liceret*. p. 77. l. 2. l. CATHANZARIO. p. 80. l. 4. l. BELAGRVNG. p. 89. l. 3. l. *quanta*. p. 93. l. 8. l. *alligatos*. p. 99. l. 15. l. *accuratum*, et dele *dedit*. p. 104. l. 10. illa verba: *Henrici IV. gratia dominus vrbis factus esset*, delenda eo loco, et ponenda l. 13. post: *Hic cum*. p. 112. l. 13. l. *Pomerania*. p. 122. l. 3. l. *et* pro est. p. 128. l. 3. l. *connexas*.


In Histor. Numor. Contumel. p. 227. l. 19. l. cuius a tergore *castor*. p. 228. l. 2. l. VIIVIR.

Num: obsid: T. I.


p. 72.




p. 74.




p. 74.





p. 76.




J. D. Philippin geb. Sysangin sc.










Num: obsid: T. II.

p. 95.




p. 103.






p 104.

p. 107.




J. D. Philippin geb: Sysangin sc.



p. 121.





p. 124




J D Philippin geb. [illegible] fe.

p 127.




4. Sols.
Quesnoy
Gouvern.
Ivoy.

p. 129.


AVXILIVM
BRA
17 43
ANOBIS
IM 15 SF


17 43
3



